

[f.181]

## Quaestio 73

### De comparatione peccatorum ad invicem

#### Articulus primus

##### Utrum omnia peccata sint connexa

Non dubium est aliqua esse invicem connexa, ut gula et ebrietas cum luxuria.

Nihilo minus certa CONCLUSIO est *non omnia esse connexa*. Ita docet D. Dionysius, 4 De divinis nominibus, longe post medium<sup>1</sup>. Et colligitur aperte ex D. Chrysostomo, in 20 caput Matthaei, Hom. 35<sup>2</sup>; D. Hieronymo, Dialogo 1 contra Pelagianos, cap. 7<sup>3</sup>; D. Gregorio, l.32 Moralium, cap.18 et 19<sup>4</sup>, et in id Job 40 [12] *nervi testiculorum eius perplexi sunt*<sup>5</sup>; D. Augustinus, epist. 29 ad Hieronymum, tom.2<sup>6</sup>. Docet D. Thomas hic, D. Bonaventura<sup>7</sup> et Ricardus, 3, d.36, a.1, q.4<sup>8</sup>; et Durandus, *cadem distinctione*, q.4<sup>9</sup>. Aegidius, 2, d.6, q.2, a.4c<sup>10</sup>.

<sup>1</sup> PSEUDODIONYSIUS ARBOPAGITA, *De divinis nominibus*, libro 4: PL 122, 1145s.

<sup>2</sup> IOANNES CHRYSOSTOMUS, *Commentarius in S. Mt. Evangelistam*, Homilia 64 alias 65: PG 58, 614a.

<sup>3</sup> HIERONYMUS, *Dialogi contra pelagianos libri III*, dial.1, c.7: OCL 80, n.20, p.25; PL 23, n.19, 535.

<sup>4</sup> GREGORIUS MAGNUS, *Moralium libri sive Expositio in librum B. Job*, 132, c.18 y 19: OCL 143B 1653-1656; PL 76 655s.

<sup>5</sup> GREGORIUS MAGNUS, *Moralia in Job*, 40,12: OCL 143B, 1656; PL 76, 657.

<sup>6</sup> AUGUSTINUS, *De sententia Iacobi liber, seu Epistola 167*, (alias 29): CSEL 56, n.8s, 231s; PL 33, 736.

<sup>7</sup> BONAVENTURA, *In 4 libros Sententiarum*, 3, d.36, a.en., q.4: Quaracchi 1887, t.3, p.799s.

<sup>8</sup> RICARDUS DE MEDIAVILLA, *Super quatuor libros Sententiarum*, 3, d.36, a.1, q.4: Brescia 1591, p.435.

<sup>9</sup> DURANDUS A STO. PORTIANO, *In Sententias Theologicas Petri Lombardi Commentariorum libri quatuor*, 3, d.36, q.4, : Amberes 1566, fol. 279v.

<sup>10</sup> AEGIDIUS COLUMNAR ROMANUS, *In Secundum Librum Sententiarum Quaestiones*, d.6, q.2, a.4c : Venecia 1581, t.1, p.307b-340a

**PROBAT** D. Thomas 1<sup>o</sup>, quia multa vitia sunt contraria, ut desperatio et praesumptio, intemperantia et insensibilitas; ergo saltem haec non sunt connexa. 2<sup>o</sup>, a priori, ostendo discrimine inter virtutes et vitia, ratione cuius licet virtutes connexae sint, vitia tamen non sint connexa; nam omnes virtutes conveniunt in ratione praecipue intenta, scilicet conformitate cum lege divina et ratione recta. Etenim licet totale motivum iustitiae, v.gr., non sit conformitas cum ratione recta ut sic et in communi, sed conformitas iusti, nihilominus quia in conformitate iusti ad rationem quod praecipue movet voluntatem studiosam est conformitas ad rationem, ita ut haec ratio superior sit quae quasi tribuit vim movendi speciali ratione iusti in quantum in ea imbibitur; ideo inde etiam valide impellitur voluntas ut velit alia omnia obiecta in quibus affulserit conformitas cum ratione recta.

Caeterum omnia vitia non conveniunt nisi in aversione a Deo et a ratione recta, quae aversio non est primario intenta in peccato, sed praecipua motiva sunt bona sensibilia vel apparentia; haec autem nullam habent inter se connexionem, imo saepe repugnantiam, et ideo vitia ad quae inclinant non sunt connexa.

**CONFIRMAT** 1<sup>o</sup> D. Thomas, quia [f.181v] virtutes acquiruntur accedendo a multitudine ad unitatem, scilicet a creaturis ad Deum et ad regulam rationis; at vero peccata committuntur recedendo ab unitate ad multitudinem. Unde sicut omnes linea ad idem centrum tendentes oportet esse connexas, verum illuc quae separatae sunt a centro et in varias partes tendunt non semper uniuntur, ita virtutes uniuntur, non vero vitia.

**CONFIRMATOR** 2<sup>o</sup> ex D. Tho-

ma, ad 3, nam licet omnia vita nascentur ex inordinato amore sui, sicut virtutes ex amore Dei, auctore Augustino, 14 De Civitate, cap.24<sup>11</sup>, nihilominus amor Dei cum sit ordinatus est congregatus, ut calor naturalis; at vero amor sui inordinatus est ut calor violentus dissipativus substantiae et intentionis, scilicet in varias creaturas non habentes inter se ordinem.

<sup>11</sup> AUGUSTINUS, *De Civitate Dei libri XXXI*, I.14, c.24. Quizás se refiera a] conocido texto de L.14, 28: CCL 48 451; PL 41 436.

Quondam si OBCLIAS: amor sui reducit omnia ad se ipsum; ergo unit omnia sicut amor Dei, RESPONDEO negando consequentiam, quia Deus est summum bonum satiatur appetitus, et omnia bona consentiunt et simul possibilia sunt cum Deo; at vero homo non est bonum sufficiens ut satiet appetitum proprium, et propter ea opus est quaerere extra se alia bona, et haec si creata sint dissident inter se et repugnant.

Propter haec D. Dionysius, cap.4, *De divinis nominibus*, ante medium, ait: *omnia bona amicitiae necuntur foedare sibique consentiunt una ex vita progenita atque in unum et placida atque similia et pari appellatione constunt. Et longe post medium eiusdem capituli ait: mali causae sunt plurimae, non tamen efficientes malorum rationes atque virtutes, sed impotentia et infirmitas et dissimilium incongrua permixtio; nec vera immobilitas. Et eodem modo semper habentia mala sunt, sed infinita et indeterminata etiam in aliis aliter pugnantia et in ipsis quoque infinitis*<sup>12</sup>.

Hinc sumitur tertia ratio hujus conclusionis, quia vitia cum infinita sint nulla possunt concatenatione uniti in hominis capacitate finita. Quod non solum Dionysius citatus docuit, sed etiam Aristoteles, 2 Ethicorum, c.6<sup>13</sup> dicens adhuc peccare quidem multis modis dicitur, malum enim infiniti ut Pitagorici existimaverunt, bonum autem finiti. Dirigere uno modo idcoque difficile contingere signum; facile autem non contingere, quia multipliciter ab eo deviatur.

<sup>12</sup> PSEUDO-DIONYSIUS ALEXANDRITA, *De divinis nominibus*, 4: véase PG 3, 723A y 731B, aunque en versión distinta. Y en la versión de Escoto, PL 122 1141B y 1145A.

Tampoco coincide a la letra la edición de las obras de Dionisio, Lovaina 1566, f.114v.

<sup>13</sup> ARISTOTELIS, *Ethica ad Nicomachum*, 2, c.6: Aristoteles Opera, 12, Basilea 1563, col.36. El testo de Aristóteles en esta versión dice: *Iam peccare licet multis modis, quoniam ut Pythagorei coniciebant, malum instrumentum incertumque est, bonum certum atque finitum. At vero recte facere uno modo licet. Itaque illud facile, hoc difficile est. Nam et a signo discedere facile est, et ipsam attingere, magni negent.*

[f.182] Quarto probatur, quia omnes veritates recte consonant inter se; at vero errores plurimi secum pugnant ita ut implicet contradictionem simul esse in intellectu, veluti hos duos: omne animal utitur ratione, nullum animal utitur ratione; ergo similiter vitia inter se pugnant.

CONTRA hanc conclusionem ARGUITUR 1<sup>a</sup> ex D. Gregorio, 31 Moralium, c.31<sup>14</sup>, dicente: ipsa namque vitiorum regina superbiam cum devictum cor cooperit mox igitur illud septem vitiis capitalibus quasi quibusdam suis ducibus devastandum tradit quos exercit, sequitur quia ex eis procul dubio importunae vitiorum multitudines oriuntur. RESPONDEO mentem D. Gregorii esse viam aperiri omnibus vitiis per superbiam, non ut omnia simul pari occursu cor occupent, ut idem Gregorius ait, sed ut singulis quibusque vitiis additus patet, ut quibusdam recendentibus alia adveniant et quam plurima simul intruant.

ARGUITUR 2<sup>a</sup>, quia Iacobi 2, [10]: *quicumque totam legem servaverit offendat autem in uno, factus est omnium reus;* ergo eo ipso committit omnia peccata. RESPONDEO notando in his verbis non esse sermonem de levibus peccatis, sed de mortalibus, ut notat D. Hieronymus, dialogo 1 *Contra Pelagianos*, c.7<sup>15</sup>, et indicant exempla quae D. Iacobus subiicit. Sensus autem est non quidem cum qui violat unum preceptum eo ipso violare omnia simpliciter, sed violare omnia quodammodo, scilicet secundum rationem communem omnibus praecceptis, propter quam observanda sunt, scilicet quia praecpta sunt a Deo: quae ratio contemnitur in quolibet peccato mortali, quod propterea dignum est poena damni quae huic procul dubio aversioni respondet, quae quantum ad privationem gratiae et gloriae perinde est ac si omnia peccata committerentur. Hunc intellectum ostendunt sequentia verba Iacobi [2,11]: *qui enim dixit non moechaberis, dixit non occides. Quod si non moechaveris, occides tamen, factus est transgressor legis.* Ita

<sup>14</sup> GREGORIUS MAGNUS, *Moralium libri sive Expositio in librum B. Job*, 1.31, c.45, 87: CCL 143B 1610; PL. 76 n.20

<sup>15</sup> Véase nota 3.

exponit Innocentius, c. *Fratres*, De poenitentia, q.1 fine<sup>16</sup>; Chrysostomus statim citandus; D. Thomas, hic; Glossa ordinaria et Lyra, ibi<sup>17</sup>. Et videtur eadem esse mens Basilii, l.2, De [l.182v] Baptismate, c.2<sup>18</sup>; D. Hieronymi nuper citati et Richardi de Santo Victore in Tractatu de Incarnatione, c.14<sup>19</sup>. Hanc sententiam illustrat exemplo D. Chrysostomus, in 20 c. Matthaei, hom. 35<sup>20</sup>: *sic enim recte dicemus totum corpus ferro munire nihil proderit si vel unica parte corporis laetali vulneri pateat additus, sed perinde erit ac si totum corpus prorsus esse inerme*. Et fere in idem redit alia expositio D. Augustini, epist. 29 ad D. Hieronymum<sup>21</sup>, et sermone 6 de tempore<sup>22</sup>; Ecumenius, Iac. 2 [10]<sup>23</sup>; et Beda, ibidem<sup>24</sup>. Et Magister, 3, d.36: *ideo transgressor unius praecepti reus est omnium, quia caritatis praeceptum transgreditur, a quo alia pendent et in quo omnia instaurantur*<sup>25</sup>. Unde male intulit Medina hic<sup>26</sup> ex mente D. Augustini sermonem esse non de quolibet peccato, sed de eo qui ex contemptu legis com-

<sup>16</sup> C.I.C., c.8, D.5 de poen: ed. Friedberg 1, 1242.

<sup>17</sup> Cf. *Biblia Sacra cum Glossa ordinaria et apostille N. de Lira...*, Iac. 2,10: Lyon 1590 t.9, col.1277.

<sup>18</sup> BASILIUS, *De baptismo*, l.2, c.2: Patis 1566, p.243v.

<sup>19</sup> RICARDUS A S. VICTORE, *Liber de Verbo Incarnato*, c.14: Venecia 1592, p.290a. BUG

<sup>20</sup> Vérs. nota 2.

<sup>21</sup> AUGUSTINUS, *De sententia Iacobi liber, seu Epistola 167*, (alias 29): CSEL 56, n.16, 237; PL 33, n.16, 740.

<sup>22</sup> AUGUSTINUS, *Sermo 36 c.9*: PL 38, 383.

<sup>23</sup> ECUMENIUS, *Commentaria in epistolam Catholicae Iacobi*, 2, 10: PG 119, 475.

<sup>24</sup> BEDA, *In epistolas VII catholicaes*, [Iac 2, 10]: OCL 121 195; PL 93 19s.

<sup>25</sup> PIETRUS LOMBARDUS, *Libri IV Sententiarum*, 3, d.36, c.2: ed. Quaracchi 1916, t.2, p.713s. Exactamente: *Cur ergo non dicuntur paria peccata? Forte quia magis facit contra caritatem qui magis peccat, minus qui levius. Nemo enim peccat, nisi adversus illam faciendo, quae est plenitudo Legis; ideo recte dicitur: qui offendit in unum, factus est omnium reus, id est, contra caritatem facit, in quo pendent omnia*.

<sup>26</sup> B. DE MEDINA, OP, *Expositio in primum secundae Angelici Doctoris D. Thomae Aquinatis*, q.73, a.1: Venecia 1602, p.377a.

mittitur. Sed nec mens Iacobi, nec Augustini haec est, tametsi hanc expositonem innuat Interlinealis<sup>27</sup>.

Notat etiam Burgensis, eam sententiam destinari ad evocendum errorem pharisorum quem tradit R. Salomon in suo Deuterio, tit.1 de poenitentia<sup>28</sup>, scilicet unam aut alteram alicuius praecepti transgressionem non dissolvere divinam amicitiam et iustitiam, si reliqua praecepta ut plurimum serventur. Sed hoc impugnare non est huius loci, et satis reicitur Matthaeo 5 [19]: *qui autem solverit unum de mandatis istis minimis et docuerit sic homines minimus vocabitur in regno coelorum*, ubi sermonem esse de exclusione a Regno coelesti probatum est in q.88, a.1, dub.7<sup>29</sup>.

ARGUITUR 3, quia habitus non excluduntur nisi per contrarios actus; sed quolibet peccato excluduntur omnes virtutes; ergo quolibet peccato inducuntur omnia vitia opposita. Minor probatur, quia omnes virtutes sunt connexas, ut docet Dionysius, 4 De divinis nominibus, ante medium<sup>30</sup>; Divus Augustinus, ex professo, epist. 29 ad Hieronymum<sup>31</sup>; 6 De Trinitate, c.4<sup>32</sup>; Ambrosius, 1.5 in Lucam, in id c.6 [20] [f.183] : *beati pauperes spiritu*<sup>33</sup>; 22 Moralium, c.1 ad medium<sup>34</sup>. Idem docuere stoici apud Augustinum, epist. citata; et Cicero, 2 Tusculanorum<sup>35</sup>; D. Thomas

<sup>27</sup> *Biblio Sacra cum Glossa ordinaria et apostille N. de Lira...*, Iac 2,10; Lyon 1590 t.9, entre col 1277 y 1278.

<sup>28</sup> ALONSO DE SANTAMARÍA, quondam Episcopus «Burgensis», *Scrutinium Scripturarum*, Burgos 1591. No hemos podido encontrar en esta obra la alusión que hace Ruiz de Montoya. En ella cita varias veces al Rabbi Salomon, como también al Rabbi Moysés, etc.

<sup>29</sup> Véase Archivo Teológico Granadino 53 (1990) 222.

<sup>30</sup> Véase nota 12.

<sup>31</sup> Véase nota 6

<sup>32</sup> AUGUSTINUS, *De Trinitate libri XV*, 1.6, c.4: CCL 50 233; PL 42 927.

<sup>33</sup> AMBROSIUS, *Expositio Evangelii secundum Lucam*, 1.5, 63: CCL 14 157; PL 15 1738.

<sup>34</sup> GREGORIUS MAGNUS, *Moralium libri sive Expositio in librum B. Job*, 1.22, c.1: CCL 143A 1092s; PL 76 212.

<sup>35</sup> M.T. CICERO, *Tusculanae Disputationes*, 1.3, VIII: ed. Operum, Londres 1869, p 1069b.

supra, q.65, a.1<sup>36</sup>. RESPONDEO ex D. Thoma hic ad 2, 1<sup>o</sup> negando consequentiam, etenim quamvis quolibet peccato mortali inducentur virtus contraria singulis virtutibus, non tamen opus esset induci omnia virtus, nam eidem virtuti opponuntur plura virtus; verum ut una virtus excludatur satis est unum vitium oppositum induci.

Nihilominus ut videamus an saltem vitiorum habitus habeant eiusmodi connexionem ut nullus adesse possit sine satellitibus pugnantibus cum singulis virtutibus, DICENDUM est 2<sup>o</sup> posse esse in voluntate habitum unius vitii quamvis non sint alia virtus pugnantia cum singulis quibusque virtutibus. Ita D. Thomas hic. Et PROBATUR discurrendo per singula virtutum genera. Nam primi, virtutes supernaturales omnes destruantur quoad totum suum esse quolibet peccato mortali demeritorie, ideoque non indigent vitiis oppositis quibus expellantur. Excipio fidem quae non excluditur nisi actu contrario qui potest generare habitum licet non excludatur ex vi habitus contrarii, sed demeritorie. Similiter species non excluditur nisi actu contrario vel defectu fidei. Vide supra, q.71, a.4, dub.1 et 2<sup>37</sup>. Deinde quidam habitus vitiosi inducuntur peccatis venialibus quibus licet excludantur aliquae virtutes minus necessariae non tamen excluduntur alias virtutes maioris momenti, supra, q.71, a.4, dub.5<sup>38</sup>. Insuper, licet quolibet peccato mortali inducatur aliqua pars vitii correspondentis, non tamen excluditur simpliciter et absolute virtus illi vitio opposita, ut in eadem q.71, a.4, dub.3<sup>39</sup>, et ideo cum illa virtute manere possunt reliquae omnes. Unde quamvis virtutes sint inter se connexae non est necessarium productio quolibet vitio reliqua omnia produci. Hinc satis constat vitium in esse imperfecto existens non esse connexum cum aliis vitiis.

Verum restat adhuc difficultas: utrum habitus vitiosus in esse perfecto ita ut prorsus excludat virtutem oppositam possit esse in

<sup>36</sup> THOMAS AQUINAS, *Summa Theologica*, 1.2., q.65, a.1: ed. Leon 6, 418.

<sup>37</sup> Véase *ArchTeolGra* 49 (1986) 302-311.

<sup>38</sup> Véase *ArchTeolGra* 49 (1986) 323-327.

<sup>39</sup> Véase *ArchTeolGra* 49 (1986) 315s.

voluntate sine aliis vitiis oppositis aliarum virtutum moralium, nam ad hoc praecipue devolvitur difficultas argumenti propositi.

DICO igitur 3<sup>a</sup>: potest esse in voluntate unum vitium ita perfectum ut penitus excluderit virtutem sibi oppositam, quamvis nullum aliud vitium oppositum aliis virtutibus [f.183v] sit in voluntate. PROBATUR, quia una virtus potest totaliter excludi quamvis aliae non excludantur nec minuantur quoad suam entitatem. Nulla enim est ratio sufficiens asserendi necessariam connexionem inter entitates virtutum.

Adverte autem, quod altinet ad connexionem trium virtutum moralium inter se non esse admodum difficile. Illud tamen difficilius est quod pertinet ad connexionem illatum virtutum cum prudentia. De quo disputat D. Thomas, q.65, a.1<sup>40</sup> et Doctores communiter 3, d.36, ubi Ricardus<sup>41</sup>, Bonaventura<sup>42</sup>, Scotus<sup>43</sup> et Durandus<sup>44</sup>. Nunc breviter sciendum est virtutes dici mutuo connexas non simpliciter, sed quodammodo; idque propter duas rationes: 1<sup>a</sup>, quia virtutes sive perfectae sive imperfectae convenient in communi aliqua ratione intentionis propter quam unius virtutis actus aliquo modo inclinat ad actum alterius virtutis, ut dictum est in 2<sup>a</sup> ratione conclusionis. 2<sup>a</sup> ratio est, quia virtutes sunt connexae quoad perfectionem extrinsecam, propterea quod virtute quacumque destructa destruitur prudentia, non quoad suam entitatem intrinsecam habitus prudentiae, sed quatenus per malum habitum et passiones insurgentes perturbatur iudicium rationis ne recte judicet practice de singularibus, et cum primum deest perfectio prudentiae deest perfectio caeterarum virtutum quae ab illa gubernantur. Adde quod saepe actus unius virtutis difficilis redditur, quia coniungitur cum materia alterius virtutis, quapropter

<sup>40</sup> THOMAS AQ. *Somma Theologiae*, 1.2., q.65, a.1: ed. Leon.6, 419.

<sup>41</sup> RICARDUS DE MEDIAVILLA, *Super quatuor libros Sententiarum*, 3, d.36, a.1, q.1c y ad 3; Brescia 1591, p.433s.

<sup>42</sup> Véase nota 7.

<sup>43</sup> JOANNES DUNS SCOTUS, *Quaestiones in librum tertium Sententiarum*, d.36, q.un.: ed. Vivès, 15, pp.675s.

<sup>44</sup> DURANDUS A STO. PORTILANO, *In Sententias Theologicas Petri Lombardi Commentariorum libri quatuor*, 3, d.36, q.3: Amheres 1566, fol.179v.

opus est omnibus virtutibus esse munitos, ut nulla unquam difficultate deterrcamur ab actu alicuius virtutis particularis. Exemplum sit: ut perfectam habetas virtutem castitatis opus est temperatio circa cibum et potum quibus luxuria nutritur, opus est prudentia ut praevideas et declinare possis periculo, opus est humilitate, vigiliis et orationibus quibus a Deo impetrare peculiaria auxilia, et quandoque opus est fortitudine ad contemnenda vitae pericula. Quam doctrinam optime explicat D. Augustinus, epist. 29 ad Hieronymum, col.3<sup>45</sup>.

### Articulus secundus

#### Utrum omnia peccata sint peccata

Affirmant Stoici, ut refert D. Cyprianus, epist. 52 ad Antonianum, col.6<sup>46</sup>; D. Ambrosius, *De poenitentia*, l.1, c.1<sup>47</sup>; D. Hieronymus, ad Celantiam, epist. 14, c.1<sup>48</sup>. Et licet Augustinus, epist. 29 ad Hieronymum<sup>49</sup> dicat nullum alium philosophorum ita [f.184] sensisse; verum idem videtur sentire Cicero, *Paradoxa* 3<sup>50</sup>; quem errorem secutus fuit Iovinianus haereticus, apud Augustinum citatus.

Videtur favere D. Basilius, in Regulis brevioribus, interrogazione 293<sup>51</sup> his verbis: *Scire illud convenit differentiam hanc maiorum et minorum peccatorum nusquam in novo testamento reperiri*. Verum quae sit sententia Basillii dictum est late in q.88, a.1, dub.7, in tertio fundamento erroris Calvinii<sup>52</sup>, ubi etiam

<sup>45</sup> AUGUSTINUS, *De sententia Iacobi liber, seu Epistola 167 ad Hieronymum*: CSEL 44, 591s; PL 33, 735.

<sup>46</sup> CYPRIANUS, *Ad Antonianum epistola*: Paris 1616, t.1 p.98b; PL 3, 807aA.

<sup>47</sup> AMBROSIUS, *De poenitentia*, l.1, c.2: CSEL 73, 121; PL 16, 467.

<sup>48</sup> HIERONYMUS, *Epistola ad Celantiam*, 6: CSEL 56, 334; PL 22, 1207.

<sup>49</sup> Véase nota 46.

<sup>50</sup> M.T. CICERO, *Paradoxa*, 3: ed. cit., 1279s.

<sup>51</sup> BASILIUS MAGNUS, *Regulae per compendium et interrogacionem*, interrogatio 293: Paris 1566, p.478; PG 31, 1287.

<sup>52</sup> ArchivGirar, 53 (1990) 221-225.

dictum fuit de mente D. Hieronymi in alio testimonio quod videtur huic errori favere.

CONCLUSIO de fide est *peccata quaedam esse graviora aliis et graviori supplicio digna*. Ita docent non solum Patres nuper relati, sed etiam plerique qui ad confirmandam distinctionem peccati venialis a mortali adducti sunt in q.88, a.1, dub.<sup>53</sup>. Praeterea illam docet Origenes, homilia 5 in Leviticum<sup>54</sup>, et homilia 9 in Ezechielem<sup>55</sup>; Cyrillus, l.12 in Ioannem, c.22<sup>56</sup>; Naziantenus, in Carmine quo dedit praecincta ad virgines<sup>57</sup>; Basilius, homilia 7 ex variis quac est de iis qui tenentur studio ditescendi<sup>58</sup>, homilia 10 quac est de ira<sup>59</sup>, et homilia 14 de ebrietate<sup>60</sup>; Beda, in id Jacobi 2 [10]: *offendat autem in uno factus est omnium reus*<sup>61</sup>. Docent communiter scholastici cum Magistro, 2, d.42 et 43.

PROBatur, quia in Levitico, c.1, et 4 et 5 et alibi sacpe praecipiuntur offerri sacrificia secundum aestimationem delicti, maiora scilicet pro gravioribus peccatis; et Deuteronomio 25, [2] secundum mensuram delicti erit et plagarum modus. Matthaeus 10 [15]: tolerabilius erit terrae sodomorum. Iohannes 19 [11]: *propterea qui me tibi tradidit maius peccatum habet*. Et 1 Cor 5 [1]: *auditur inter vos fornicatio qualis nec inter gentes*. Apocalypsis 10 [7]: *quantum glorificavit se et in deliciis fuit tantum date illi tormentum et luctum*. 2 Petri 2 [9s]: *iniquos vero in die iudicii servare cruciandos, magis autem eos qui post*

<sup>53</sup> Véase Archivo Teológico Granadino 53 (1990) 220-232.

<sup>54</sup> ORIGENES, In Leviticum homiliae, hom.5. PG 12, 453.

<sup>55</sup> ORIGENES, In Ezequiel homiliae, hom.9. PG 13, 754.

<sup>56</sup> CYRILLUS ALEXANDRINUS, Commentarii et tractatus Evangelium. Véase PG 74 1.12, 611-614.

<sup>57</sup> GREGORIUS NAZIANZENUS, Poemata moralia, II Praecepta ad virgines: PG 37 599s.

<sup>58</sup> Ms dicendi. BASILIUS, hom.7 Ad eos habita qui studio tenentur ditescendi: Paris 1566, p 154-158; PG 31 278-303.

<sup>59</sup> Ms illa. BASILIUS, hom.10, de ira: Paris 1566, p 167-171; PG 31 354-371.

<sup>60</sup> BASILIUS, hom.14, In ebrietatem... : Paris 1566, p 185-189; PG 31 443-463.

<sup>61</sup> Véase nota 24.

*carnem in concupiscentia immunditiae ambulant dominationemque contemnunt, etc.* Ezechiel 16 [52]: *vicisti sorores tuas peccatis tuis sceleratus agens ab eis.* 1 Regum 2 [25]: *si peccaverit vir in virum placari ei potest Deus; si autem in Deum peccaverit, quis orabit pro eo?* Mattheus 12 [32], Marcus 5 [29], Lucas 12 [19] et [1] Ioannis 5 [16]: *omne peccatum et blasphemia remittetur [f.184v] hominibus; Spiritus autem blasphemia, seu blasphemia in Spiritum Sanctum, non remittetur ei nec in hoc saeculo nec in futuro.* Et sunt pleraque alia Sacrae Scripturae testimonia manifesta.

Ratione naturali evidenter PROBatur ex multiplici ratione augente malitiam peccati, quarum praecipua est D. Thomae hic, ex Aristotele 2 Ethicorum, c.8, quia unum vitium recedit ab ordine et ratione plusquam aliud. 2<sup>a</sup>, quia turpius est obiectum unius peccati quam alterius, de quo dicendum est in a.3. 3<sup>a</sup>, quia perfectior aut magis debita virtus excluditur ab uno peccato quam ab alio, ut explicabitur a.4. 4<sup>a</sup>, quia graviora sunt peccata propter plurimas circumstantias, de quibus in sequentibus articulis et in aliis quaestionibus dicendum erit, veluti propter maius nocumentum, propter dignitatem personae contra quam peccatur, et dignitatem personae peccantis. Praeterea, quia peccatum sit magis voluntarium, minus habens de ignorantia et passione, aut magis intensus sit actus, et diuturnior, vel ad plura obiecta extensus. Sed omnia haec reduci possunt ad primam rationem, ut infra constabit.

Igitur in praesenti articulo disputandum est utrum in privatione honestatis et in transgressione legis et aversione a Deo inaequalia sint peccata.

### Dubium 1<sup>o</sup>

**Utrum in omni peccato sit mera privatio  
an vero admixta sit aliqua bonitas**

Praecipuum argumentum stoicorum erat, quia nulla privatio suscipit magis et minus; sed malitia peccati est privatio; ergo nulla malitia est maior alia.

D. Augustinus, epist. 29 ad Hieronymum, col. antepenultima<sup>62</sup>, et clarius D. Thomas hic, corpore, et D. Antoninus, 1 p., tit.9, c.1, § 1<sup>63</sup>, RESPONDENT distinguendo maiorem; nam privatio simplex et pura, quae nihil habet admixtum formae positivae, et propterea dicitur consistere in privato esse, illa non suscepit magis et minus, ut mors; atiae vero privationes sunt non simplices, sed habentes admixtum aliquid formae positivae qua privant, ut acgritudo quac ita privat humorum proportione requisita ut tamen non penitus illam excludat; si enim penitus excluderet proportionem humorum afferret mortem. Et huiusmodi est malitia peccati, quae sic privat ratione recta ut tamen non excludat penitus, [f.185] sed aliquid illius relinquit. Quod probat D. Thomas, quia malum si integrum sit destruit se ipsum et intolerabile evadit, ut inquit Aristoteles, 4 Ethicorum, c.5<sup>64</sup>, scilicet quod totaliter est malum et nihil habet admixtum bonum oportet esse prorsus nihil, unde non poterit in illo esse ulla entitas. At vero peccatum, sicut habet admixtum aliquid de entitate, nam vere est actus humanus, ita habet admixtum aliquid de ordine rationis.

Contra hanc solutionem D. Thomae obiciunt aliqui hoc modo: bonitas moralis consistit in indivisibili, eo quod nascitur ex integra causa; ergo aut tota auferitur per malitiam aut nihil illius auferitur, ac proinde malitia peccati erit privatio simplex. CONFIRMATUR 1º, quia in voluntate furandi propter utilitatem pecuniae nulla est pars conformitatis cum ratione recta; ergo nulla pars bonitatis moralis. CONFIRMATUR 2º ad hominem, quia sicut D. Thomas colligit in peccato manere aliquam bonitatem moralem admixtam privationi eo quod maneat actus, ita posset colligere manere post mortem aliquid vitae admixtum, et non esse privationem simplicem, eo quod maneat materia. CONFIRMATUR 3º, quia quod manet in actu peccati est bonitas transcendens, non vero moralis. CONFIRMATUR

<sup>62</sup> AUGUSTINUS, *De sententia Iacobi liber, seu Epistola 167 ad Hieronymum*; CSEL 44, 599; PL 33, 738.

<sup>63</sup> ANTONINUS, *Summa*, 1 p., tit.9, c.1, § 1; Lyon 1529, f.98v a.

<sup>64</sup> ARISTOTELES, *Ethica ad Nicomachum*, 4, c.5; Aristoteles Latinus 26 1/3, Bruxelles-Leiden, 1973, p.445; Basilea 1563, t.2, col.73.

4<sup>a</sup>, quia pura omissione nullam potest habere bonitatem moralem, cum nec habeat actum materialem nec bonitatem transcendentem. CONFIRMATUR 5<sup>a</sup>, quia ipse D. Thomas, supra, q.72, a.5, et q.88, a.1 et 2<sup>65</sup>, ait omne peccatum mortale comparari morti, quia totaliter auferunt principium vitae, at vero veniale comparari infirmitati; at vero D. Thomas hic omne peccatum comparat non morti, sed infirmitati.

Nihilominus ABSOLUTE DICENDUM est in peccatis quantumcumque gravissimis manere aliquam bonitatem moralem admixtam. Haec est sententia Augustini, D. Thomas et D. Antonini, et consonat Aristoteles locis citatis in principio hujus dubii. Eandem docet Simplicius, in libro predicamentorum, apud D. Thoma, q.18, a.8 ad 1<sup>66</sup>, qui idem docet De malo, q.1, a.2 et q.2, a.5 ad 3<sup>67</sup>; Ricardus, 2, d.42, a.4, q.2<sup>68</sup>; Conradus<sup>69</sup> et Caietanus, 1.2., q.18, a.8<sup>70</sup>. Et quamvis non adeo expresse idem [f.185v] docet Scotus, quodlibeto 13, et 2, d.40, q.1<sup>71</sup>; ubi Gabriel, notabili 1<sup>72</sup>, de quo dixi q.71, a.6, dub.2, ubi de appetibilitate peccati et necessitate ad perfectionem universi<sup>73</sup>. Dixi etiam q.18, a.1, dub.4 et 7.

RATIO est, quia sicut bonitas ut sic est passio entis ut sic, ita bonitas moralis entis moralis. Et insuper, sicut entis passio non est

<sup>65</sup> THOMAS AQUINAS *Summa Theologiae*, 1.2., q.75, a.2 y q.88, a.1 y 2; ed. Leonina 7, 18 y 132-135.

<sup>66</sup> THOMAS AQUINAS *Summa Theologiae*, 1.2., q.18, a.8 ad 1. ed. Leon. 6, 134s.

<sup>67</sup> THOMAS AQUINAS, *Quaestiones disputatae de malo*, q.1, a.2. ed. Leon. 23, 10; y q.2, a.5; Ibd. 44.

<sup>68</sup> RICARDUS DE MEDAILLILLA, *Super quatuor libros Sententiarum*, 2, d.42, a.3, q.1 y q.2; Brescia 1591, p.516b, 517a.

<sup>69</sup> CONRADUS KORNILLUS, OP, *Expositio Commentaria in Primum Secundum.. S.Th. Aq.*, q.18, a.8; Venecia 1589, p.151b.

<sup>70</sup> THOMAS A VIO, *Commentarius in Summam S.Th. Thomasae*, 1.2., q.18, a.8; *Opera Omnia S.Th. Thomas cuius commentarij Thomae de Vio Caietani*, ed. Leon. 6, p.135b.

<sup>71</sup> JOANNES DUNS SCOTUS, *quodlibeta 18, § De primo*; ed. Vivès 26-230ss. *Quaestiones in librum secundum Sententiarum*, 2, d.40, q.1; ed. Vivès, 13, 429.

<sup>72</sup> GABRIEL BIEL, *Collectorium circa quatuor libros Sententiarum*, 2, d.40, q.1, a.1, notab.1; ed. Tübinga, 12, 667s

<sup>73</sup> Véase *Archivum Teologico Ganadino*, 2 (1939) 260-264.

bonitas simpliciter, sed bonitas secundum quid, ita entis moralis passio non est bonitas moralis simpliciter, quae pendet ex integra causa et consistit in indivisibili, et haec non convenit actibus peccati nec admiscetur privationi, ut recte probat obiectio; et vero bonitas moralis secundum quid potest convenire actui peccati, quia est passio entis moralis. CONFIRMATUR 1<sup>a</sup>, quia omnis actus qui dirigitur iudicio rationis eo ipso est aliquomodo conformis rationi rectae. Nam omne iudicium rationis habet aliquid rectitudinis in quantum dictat de bono ut bonum est, et sine huiusmodi iudicio nullus actus esse potest in voluntate. CONFIRMATUR 2<sup>a</sup>, quia omnis voluntio tendit ad beatitudinem in communi, scilicet ad bonum, quamvis non ad bonum simpliciter. Et quamvis hoc non sufficiat ut absolute sit consonus rationi, nihilominus erit secundum quid consonus. CONFIRMATUR 3<sup>a</sup>, quia similiter, in iudicio falso quandoque plus quandoque minus de veritate est admixtum. Unde Aristoteles, 4 Metaphysicorum, texto 28, ita inquit: *magis et minus inest entium naturae; non enim eodem modo mentitus est qui quatuor esse putat quinque aut qui mille; si autem non similiter potest quod alter minus, quare magis verum dicit?* Quam sententiam in proprio sensu intelligit D. Thomas ibi<sup>24</sup>, et contextus Aristotelis non admittit sensum improprium et vulgarem. Et reddi potest ratio dicti, quia qui asserit quatuor esse quinque negat quatuor esse sex et septem, et negat omnes numeros usque ad mille includi in quaternario; et quantum ad hoc verum dicit quod non asserit qui dixit quatuor esse mille. [f.186]

Hinc constat solutio praincipiac obiectio[n]is. Ad 1<sup>er</sup> confirmationem RESPONDEO eo ipso quod ille sit actus liber et propter aliquod bonum secundum quid, est secundum quid conforme rationi rectae cuius est dirigere actus liberos ad bonum; et propter hanc bonitatem secundum quid universalem omnibus peccatis reperies plures alias peculiares diversis peccatis, ut si velis furari ad dandam eleemosynam vel Deum colere superstitioso cultu, ubi eleemosyna et cultus Dei afferunt bonitatem secundum quid. Ad 2<sup>er</sup> confirmationem, NEGGO antecedens; nam ratio vitae non est

<sup>24</sup> Véase nota 65.

passio proveniens ex materia, sicut bonitas moralis secundum quid est passio cuiusque actus moralis. Unde constat solutio 3<sup>ra</sup> confirmationis. Ad 4<sup>th</sup> confirmationem RESPONDEO: pura omissione est actus moralis interpretativus; et ea ratione habet suam bonitatem moralem interpretativam, praesertim quando habet finem interpretative volitum. Ad 5<sup>th</sup> confirmationem RESPONDEO: omne peccatum mortale, in ordine ad gratiam et habitualem rectitudinem, habet se veluti mors respectu vitae, quia totaliter illam excludit; at vero in ordine ad bonitatem moralem actualem habet se sicut infirmitas, quia huiusmodi bonitatem actualem non prorsus excludit.

Sed contra praedictum modum defendendi bonitatem admixtam insurgunt aliqui, quia subiectum non est forma qua privatio privat; ergo bonitas quae essentialis est subiecto non impedit quominus privatio bonitatis debitae sit pura, imo necessarium est manere subiectum ut propria sit privatio. CONFIRMATUR 1<sup>a</sup>, quia caccitas et tenebrae dicuntur a D. Thoma privationes perfectae et in facto esse, quamvis maneat carum subiectum. CONFIRMATUR 2<sup>a</sup>, quia si bonitas subiecti causa est ut privatio bonitatis esset minor, sequeretur inde odium Dei intensum minus peccatum esse quam remiseum, quia tantum plus habet de bonitate admixta quantum plus habet de entitate actus. Sed RESPONDEO negando primam consequentiam. Et ratio sunitur ex natura privationis huius, quac est in peccato et in errore; quac in hoc differt a caccitate et tenebris et id genus privationibus. Quia visus quem excludit caccias accidens est respectu animalis, et non debet perlinere ad constitutivum substantialem animalis. Et similiter lux quam excludunt [f.186v] tenebrae accidens est corporis diaphani non perlinens ad illius constitutivum. At vero bonitas quae deberet esse in actu humano non deberet esse quasi accidens sed quasi consti-tuens specificam rationem actus; et propterea hanc privatio non auferit accidens subiecti relicto subiecto integro, sed potius tollit quasi partem subiecti; unde tunc erit maior privatio quando plures vel potiores partes subiecti abstulerit, sed quando plures reliquerit erit privatio minor. Exemplum esse posse in privatione partium integralium animalis quarum subiectum licet sit animal nihil-

minus quamdiu aliqua pars animalis manet non est integra et perfecta hanc privatio partium.

Hinc constat solutio confirmationis primac. Sed, ut ex eis sumamus argumentum contra adversarios, addo: si diaphanum essentialiter haberet aliquid lucis actualis, non esset perfecta ratio tenebrarum quamdiu maneret diaphanum. Et similiter, quia actus moralis habet essentialiter aliquid bonitatis moralis non est perfecta privatio bonitatis moralis quamdiu manet actus.

Ad secundam confirmationem RESPONDEO negando sequelam, quia maior est privatio quae plus bonitatis excludit quamvis plus bonitatis relinquat; at vero in actu intenso plus bonitatis excluditur, quia illi debita erat tam intensa bonitas quam intensus est actus, quamvis plus etiam bonitatis relinquatur, sicut si soli debita est lux ut mille et lunae debita est lux ut centum, et sol obscuretur ita ut retineat solummodo lucem ut decem, maior erit illius privatio quam lunae si retineat lucem ut duo; de quo dicemus etiam in dubio sequenti.

### Dubitatur 2<sup>a</sup>

#### **Utrum quaecumque inaequalitas privationum proveniat ex admixta bonitate**

Negativam partem defendunt nonnulli qui existimant esse quedam peccata graviora aliis, quae non habent admixtam maiorem bonitatem quam illa. Quod PROBATUR 1<sup>o</sup>, quia quedam omissiones purae nullum habent finem interpretati<sup>f.187</sup> [ive] volitum, ut colligi potest ex dictis q.72, a.6, dub.2, post 1<sup>o</sup> argumentum, et post dubium 3 in appendice conclusionis 2<sup>o</sup>. At in huiusmodi volitionibus interpretativis nihil est volitum prater quam non impletio praecepsi; quare non habent aliam bonitatem moralem nisi esse volitiones interpretativas, et in hoc nulla inaequalitas bonitatis est. 2<sup>o</sup>, idem constat in omnibus peccatis in quibus unus finis movet ad inaequalia crimina. Huiusmodi erunt decretum occidendi patrem ad obtinendam ultius haereditatem sine

alio fine; et decretum furandi ab extraneo propter utilitatem pecuniae. Ex quibus ut constat, gravius est primum peccatum cum tamen in utroque actu admixta reperiatur hanc sola bonitas moralis, scilicet actum esse volitionem libertam incitatam ad finem boni utilis quod est in pecunia. 3<sup>a</sup> PROBATUR, quia aliquibus actibus deest quantum deesse potest bonitatis; ergo inter illos non erit inaequalitas admixtae bonitatis. Antecedens constat in odio Dei cuius sit pessimum motivum quod velis fingere, et praesertim si quis simul velit omnia mala quae simul eligi possunt propter magis offendendum Deum, idque intensissimo actu et cum magna cognitione et sine occasione.

Nihilominus DICO 1<sup>a</sup>: *quamvis nihil bonitatis admixtum esset in peccatis, sed essent merae privationes in facto esse, peccata potuissent inaequalia esse.* Illud enim peccatum esset gravius quod perfectiori honestate privaret, sicut deterior privatio est caecitas quam surditas, quia caecitas privat visu quac est perfectior potentia quam auditus quo privat surditas. Et similiter gravius peccatum esset quod magis scienter et ex leviori causa et intensiori affectu commissum esset.

Sed quantum ad modum loquendi aliqui existimant inter huiusmodi privationes quae nihil formae relinquunt, unam non esse magis privationem quam alia sit, quamvis sit deterior privatio. Nihilominus absolute dici potest [f.187v] magis privare et esse magis privationem illam quae perfectiorem formam excludit, quia plures quasi gradus perfectionis habet forma quibus necessarium est secundum modum intelligendi respondere plures quasi gradus privationis.

DICO 2<sup>a</sup>: *de facto pleraque peccata sunt inaequalia in quibus bonitas admixta est aequalis arithmeticè, quia scilicet in utroque peccato est solus minimus gradus vel duo aut plures, ita tamen ut in utroque aequalis sit bonitas, et unum peccatum excludit perfectiorem honestatem quam aliud.* Hanc conclusionem probant efficaciter praecedentia argumenta.

DICO 3<sup>a</sup>: *si geometricam aequalitatem bonitatis respiciamus in peccatis, omnia peccata quae sunt inaequalia habent etiam inae-*

*qualem bonitatem admixtam.* Geometrica aequalitas explicatur ab Aristotele, *5 Ethicorum*<sup>76</sup>, cap.3 et 4, et communiter Doctoribus disputantibus de iustitia distributiva. Vide Sotum, *3 De iustitia*, q.5, a.2, concl.2<sup>77</sup>.

In praesenti nobis sufficiat exemplum: si imperator dividens spolia debeat Petro duci, mille pro dignitate personae et muneris, et Paulo militi debeat centum, et tamen singulis tribuat tantummodo decem, tunc Petrus et Paulus accipiunt premium aqualem arithmeticę, quia uterque accipit decem, sed non accipiunt aquale geometrice, sed Paulus longe maius accepit quam Petrus, nam Paulus accepit decimam partem debiti premii, sed Petrus non accepit nisi centessimam partem; acciperent autem geometrice aquale si Petrus acciperet centum et Paulus decem. Ad hunc modum philosophari debemus in peccatis, nam quotiescumque peccatum est gravius maius est debitum ad honestatem aliquam. Et bonitas reperta in actu tanto minor est comparatione obligationis quanto maior est obligatio.

Unde RESPONDEMUS ad argumentum 1<sup>ra</sup> et 2<sup>ra</sup>, concedendo in puris omissionibus quae non habent finem interpretative, et praeterea in commissionibus in quibus unus et [f.188] idem finis est, non esse bonitatem inaequalem arithmeticę, nihilominus est inaequalis geometrice, scilicet comparatione obligationis, quia obligatio non occidendi patrem maior est quam obligatio non furandi ab extraneo, et comparatione huius maioris obligationis minor bonitas est quae in actu reperitur, quamvis alioqui sit aequalis. Idem dicio in aliis exemplis.

Inde etiam RESPONDEO ad 3<sup>ra</sup>: quamvis aliquibus actibus desit quantum dcesse potest bonitatis, et quamvis non possit bonitas esse minor absolute et arithmeticę, potest tamen esse minor geometrice comparatione obligationis. Sicque odium Dei ex pessimo motivo potest supponere maiorem obligationem amandi Deum proprie altiorum cognitionem Dei, et propter maiorem dig-

<sup>76</sup> ARISTOTELES, *Ethica ad Nicomachum*, L5, c.3 y 4; Basilea 1563, colx.89-93.

<sup>77</sup> D. SOTO, OP, *De iustitia et iure*, I.3, q.5, a.2, concl.2: Salamanca 1569, p.223a.

nitatem personae et plura beneficia a Deo accepta, et propter alias circumstantias. Et respectu huius maioris obligationis minor erit bonitas admixta, nec potest singuli actus tam plenus huiusmodi malitia cui non possit fieri additio vel ex pluribus beneficiis vel ex meliori illustratione mentis vel ex aliis circumstantiis.

Hactenus de bonitate admixta in ipso actu peccati. Nunc de bonitate quam peccatum permittit esse in voluntate per alios actus vel habitus.

DICO 4<sup>a</sup>: *Illud peccatum est gravius quod minus de bonitate aliorum actuum et habituum permittit esse in voluntate.* Et in idem redit sententia D. Augustini, epist. 29 ad Hieronymum<sup>78</sup>. Et Glossa in id Iacobi 2 [10] *qui offenderit in uno factus est omnium reus* dicentium illud peccatum esse gravius quod magis charitatem laedit. Et universalis ratio propter [quam] hunc unum peccatum charitatem laedit magis quam aliud est quia vel destruit ipsam charitatem immediate vel destruit immediate aliquam virtutem magis necessariam ad charitatem. De quo recte Durandus, 2, d.42, q.8<sup>79</sup>, Aegidius, 2, d.35, q.2, a.3<sup>80</sup>; et fere in idem redit quod Alexander, 3 p., q.57, membr. [L.188v] 3<sup>81</sup>, ait, quia virtutes sunt inaequales ideo privationes peccatorum esse inaequales. Quid ita accipiendum est ut quacumque maior obligatio virtutis sive proveniat ex obiecto illius sive ex maiori cognitione et advertentia sive ex minori passione sive ex maiori intensione actus sive ex quacumque alia circumstantia inferat maiorem privationem.

DICES iam: ergo haec conditionalis erit vera: si virtutes sunt aequales vitia etiam sunt aequalia; cuius consequentiam negat D. Augustinus, epist. 29 citata et D. Thomas, hic ad 3. RESPONDEO:

<sup>78</sup> AUGUSTINUS, *De sententiis Iacobi liber, seu Epistola 167 ad Hieronymum*. CSEL 44, 605; PL 33 740.

<sup>79</sup> DURANDUS A SIO. PORTIANO, *In Sententiis Theologicas Petri Lombardi Commentariorum libri quartus*, 2, d.42, q.6. Anubates 1566, fol. 203v.

<sup>80</sup> AEGIDIUS COLUMNA ROMANUS. *In Secundum Librum Sententiarum Quaestiones*, d.35, q.2, a.3: Venecia 1581, 1.2, p.527.

<sup>81</sup> No hemos podido verificar esta cita. Puede verse ALEXANDER HALENSIS, *Summa theologiae*, 2 p., q.105, a.3, ctecn.4: Lyon 1516, fol.204b 205 y las notas 214, 278.

Si aequalitas virtutum esset ea solum quae ponebatur ab Stoicis, scilicet quia propter mutuam connexionem omnes virtutes simel adessent et abessent quasi una virtus, ex hac aequalitate non sequitur virtus esse aequalia, quia gravius esset illud peccatum quod directe, immediate, et quasi per se excluderet perfectiorem partem illius virtutis et magis necessariam. Si tamen virtutes ita essent aequales ut nulla esset pars dignior nec magis obligans, nec ex obiecto nec ratione circumstantiarum, tunc virtus omnia essent aequalia.

### Dubitatur 3<sup>a</sup>

#### De inaequalitate peccatorum in quantum leges violant

Ratio dubitandi est, quia peccare est transgredi leges et regulam rationis, quae ita se habet ad actus humanos sicut linea dirigen<sup>s</sup> opus artificis; sed transilire lineas non habet magis et minus, sed consistit in indivisibili; ergo transgredi legem et regulam rationis non habet magis et minus. RESPONDEO ex Durando, 2, d.42, q.8 ad 1<sup>o</sup> legem et regulam rationis non esse unam sed multiplicem, nec indivisibilem esse ut lineam, sed habere latitudinem perfectionis et obligationis; et ideo qui transgreditur perfectiorem et magis debitam legem plus transgreditur. Et in eadem lege qui plures quasi partes aut circumstantias transgreditur, magis transgreditur. Consonat D. Thomas hic ad 2, et locis infra [f.189] citandis.

Sed Conradus, in praesenti articulo circa ad 2<sup>o</sup> propter argumentum praecedens existimat ea peccata quae non sunt mala ex se, sed tantum quia prohibita sunt, non esse inaequalia. PROBAT 1<sup>o</sup>, quia hanc omnia aequaliter transiliunt in indivisibiles lineas praecceptorum et postquam semel transgressi sumus lineam pracepti non augemus malitiam si longius recedamus. PROBAT 2<sup>o</sup>,

<sup>12</sup> DURANDUS A STI. PORTIANO, *In Seminariis Theologicis Petri Lombardi Commentariorum libri quatuor*, 2, d.42, q.8 ad 1: Amheres 1566, fol.204, n.8.

<sup>13</sup> CONRADUS KUELLAN, OP, *Expositio Continetur... in Primaria Secundae... 57a* Aq., q.73, a.2 ad 2: Venecia 1589, p.534a.

quia talia peccata consistunt in omissione continendi se a transgresione lineae; et omissio non suscipit magis et minus.

Sed utrumque fundamentum non minus falsum est quam ipsa sententia, cui quamvis favere videatur D. Thomas in q.2 De malo, a.9 ad 4<sup>th</sup> et 3 Contra Gentes, c.139<sup>th</sup>, cacterum utroque loco tantum intendit assignare discrimen peccatorum ex quibus illa quae per se mala sunt, necessarium est ut semper graviora fiant si magis recedant ab honesto et a praecepto; at vero in iis quae sunt per accidens mala (ut D. Thomas loquitur), quia prohibita sunt, non est hoc universaliter necessarium, quia possibile est ut intentio et verba praecepti positivi ita limitentur ut non prohibeat nisi transgressio alicuius indivisibilis lineae et non prohibeat recessus ab illa linea postquam semel conculcata est; et tunc non erit gravius longius recedere. Quae doctrina, licet vera sit et ad explicandam naturam huiusmodi peccatorum accommodata, cacterum raro aut nunquam eveniet.

**DICENDUM** igitur est inaequalia esse non solum peccata contra praecepta naturalia, sed etiam peccata contra praecepta positiva et quae non sunt mala ex se sed tantum quia prohibita sunt; et in his peccatis inaequalitas nascitur ex triplici latitudine: prima, quam ex natura obiecti habent leges positivas ratione cuius una lex magis et strictius obligat quam alia, et eadem lex magis obligat ad unam partem rei praeceptae quam ad aliam propter altiorem finem legis vel propter maiorem necessitatem ad eundem finem. Secunda latitudo provenit ex voluntate [f.189v] legislatoris, qui ad eandem rem ei propter eundem finem et cum aequali necessitate potest magis obligare aut minus pro suo arbitrio, ut dicemus in a.3 in corollario 2; et propterea deterior erit transgressio praecepti magis obligantis utpote continens privationem honestatis magis debitac. Tertio, intra eandem lineam eiusdem praecepti positivi gravius peccatum est totum officium divinum omittere quam partem officii divini, et gravius est quodcumque praeceptum positivum violare cum minore occasione aut intensiori actu.

<sup>th</sup> THOMAS AQ., *Quaestiones disputative de malo*, q.2, a.9 ad 4: ed. Leon.23, 553.

<sup>th</sup> THOMAS AQ., *Contra Gentes*, c.139: ed. Leon. 14, 419.

**Dubitatur 4<sup>a</sup>****De Inaequalitate peccatorum ut sunt contra Deum**

Primum dicendum est *de aversione*; secundo, *de ratione offensae*; tertio, *de reatu culpe et ex consequenti de reatu poenae*.

Quoad primum, Vicentius, in q.5 De Christi merito, p.308 et 309<sup>b</sup> asserit aversionem a Deo si consideretur praecisa a conversione ad creaturam esse omnino aequalem in peccatis, quamvis eadem inaequalis sit in quantum resultat ex inaequali conversione, ad eum modum quo in duobus corporibus prorsus carentibus luce tenebrae sunt aequales in se et formaliter sumptae, verumtamen inaequales ratione causae, quia impedimentum magis opacum est causa tenebrarum in uno corpore et non in alio. Principium fundamentum est, quia omne peccatum mortale est infinitae malitiae et destructivum Dei, quod ex se est. Sed RESPONDEO non esse malitiae infinitae simpliciter, sed secundum quid; et non esse destructivum Dei proprie, sed quoad quendam affectum complacentiac inefficacis, illumque non nisi remota quadam et impropria virtualitate inclusum in peccatis, ut dixi in disputatione de peccato mortali, q.88, a.1, dub.3 et 4 et 5<sup>c</sup>. Et quanto deterior est actus peccati tanto plus de hac virtuali complacentia destruendi Deum et de hac infinitate secundum quid ut includitur in illo. Secundum fundamentum est, quia Deus non habet partes; ergo recessus a Deo est indivisibilis. SED consequentia nihil valit, nam quamvis punctum sit indivisibile possumus ab illo magis aut mi[f.190]nus recedere, et tanto magis redimus a Deo quanto deterior est actus. Tertium fundamentum est, quia omne peccatum mortale privat tota gratia ac priuilegio tota conversione ad Deum ut finem supernaturalm, et propterea privat tota rectitudine in ordine ad Deum ut finem naturalem; ergo in omni peccato mortali sequatis est aversio a Deo. Hoc argumen-

<sup>a</sup> L. VINCENTIUS, Relatio de Habitu Christi Salvatoris naseri Semperficiante genio, q.5: Roma 1591, p.308s

<sup>b</sup> ArchTolGran, 53 (1990) 185-205.

tum, si valeret aliquid, probaret solunmodo aversionem habitualis esse aequalem in omni peccato mortali. Sed de hac dicimus postea, quia haec est essentia reatus. At vero circa aversionem actualis nihil probat, quia haec non consistit in privatione gratiae et rectitudinis habitualis in ordine ad Deum, sed potius est causa illarum, ab illis realiter distincta, saltem negative.

Sit ergo CONCLUSIO certa: *peccata mortalia sunt inaequalia quoad actuales aversiones a Deo formaliter sumptas ita ut unum avertat magis quam aliud.* Ita D. Thomas in sequenti a.3 ad 2 et 2.2., q.10, a.3, et 3 p., q.88, a.10<sup>16</sup>. Et videtur supponi ut certa a Patribus et Theologis citalis in principio hujus argumenti, quia peccatum apud Theologos praecipue dicit offendit Deum et aversionem a Deo. Et inaequalia esse peccata ut Deum offendunt, constat ex locis Sacrae Scripturae et Patribus in principio hujus articuli.

Ratione PROBATUR 1<sup>a</sup>, quia latitudo aversionis a Deo provenit a conversione ad creaturam; nam quanto magis adhaeret aliquis creature et quanto illa creatura cui adhaeret magis distat a Deo propter maiorem turpitudinem adiunctam, tanto homo magis recedit et avertitur a Deo, sicut quanto magis accedit ad locum magis distantem ab urbe, tanto magis recedis ab urbe. 2<sup>a</sup> PROBATUR, quia in actu turpiori est maior ratio amittendi amicitiam Dei et illa est maior aversio ab amicitia. 3<sup>a</sup>, quia aversio provenit ex eo quod auferatur aliqua virtus necessaria ad charitatem vel ipsa charitas; unde quanto illa virtus est perfectior et magis necessaria ad charitatem est maior aversio.

Haec conclusio vera est tam de positiva aversione a Deo, quae consistit in positiva voluntate offendendi Deum quam de privatione in qua consistit ratio peccati in [f.190v] quantum est privatio maioris conversionis ad Deum, aut magis debitac conversionis, secundum dicta in praecedentibus dubiis.

<sup>16</sup> THOMAS AD. *Summa Theologiae*, 2.2., q.10, a.3 y 3 p., q.88, a.1: ed. Leon. 8, 81 y 12, 321.

Secundo inquirimus *utrum ratio offensae Dei et aversionis a Deo sint praecipuae radices gravitatis in peccatis.*

Negarivam partem supponit Durandus, 4, d.17, q.7<sup>89</sup>, ubi postquam distinxit rationem offensae activae et passivae, de qua infra, concludit non esse detestandam culpam ut est offensa Dei magis quam ut inferit privationem gratiae et alias poenas. Cuius fundamentum est quia idem ipsum formaliter est in peccato afferre privationem gratiae et alias poenas, et esse offenditum Dei, quia Deus non offenditur proprie, sed metaphorice ex eo praecise quod vult infligere poenam. Unde inferit magis dolendum esse de peccatis quia continent inordinationem contra rationem quam quia sunt offensa Dei. Haec sententia est valde absurda et contra communem theologorum in materia de poenitentia dicentium de peccatis ut sunt offensa Dei dolendum esse magis quam ut afferunt privationem gratiae et alias poenas et ut continent inordinationem contra rationem.

Nunc satis erit ostendere fallaciam fundamenti Durandi his propositionibus:

1<sup>a</sup>: *Deus non offenditur ita ut detrimentum in se realiter accipiat.*

2<sup>a</sup>: *Deus offenditur ablatu aliquia parte honoris Dei extrinseci per peccatum, quod tamen Deus necessario convertit in maiorem honorem suum, ut probatum est in q.88, a.1, dub. 3 et 4<sup>90</sup>.*

3<sup>a</sup>: *Deus non offenditur ita ut tristitum aut dolorem accipiat de nostris iniuriis.* Et hoc forte tantum voluit Durandus cum dixit in Deo non esse offensam passive, quia in eo non est displicentia de nostris peccatis nec ira proprie, sed tantum metaphorice.

4<sup>a</sup>: *In Deo proprie et sine metaphora reperitur offensa passive, quatenus est vera displicentia de peccato et de homine pro tempore quo peccat.* Quam displicentiam ab aeterno habuit. Et hanc veritas nihil pendet ex ea quæstione, utrum actus liberi Dei addant

<sup>89</sup> DURANDUS A STO. PORTIANO, *In Sententiis Theologicas Primi Lombardii Commentariorum libri quartus*, 4, n.17, q.7; Amheres 1566, fol.341v-342r.

ArchTeolGron 53 (1990) 185-195.

aliquid reale supra actus necessarios. Sed sicut in omni sententia proprie et sine metaphora Deus habet scientiam qua cognoscit Petrum peccare in tali tempore, ita proprie et sine metaphora habet displicentiam de illo peccato et de homine propter [f.191] illud. Et utsique actus potuit non esse in Deo sicut potuit non esse peccatum Petri.

5<sup>a</sup>: *In peccato est vera ratio offensae activae quantum est ex affectu peccatoris, quia vere vult non reddere Deo honorem quem deberet, et vere infert contumeliam, quod in se est, ut probatum est q.88, a.1, dub.4<sup>91</sup>.*

6<sup>b</sup>: *Haec ratio offensae et aversionis quae in peccato reperitur non potest ita praescindi ab oppositione peccati contra rationem et contra naturam rationalem et contra virtutem et legem, ut non includat implicite has omnes rationes et includatur in illis, ut explicatum est q.71, a.6, dub. ult.<sup>92</sup>.*

7<sup>c</sup>: directe ad interrogationem propositam, RESPONDEO gravitatem peccati sumi a ratione offensae Dei potius quam ab oppositione contra rationem et virtutem. In hoc sensu quod vocet et conceptu offensae Dei magis explicite dicitur ordo ad Deum, in ordine ad quem praecipue consistit ratio peccati; quamvis idem ordo necessario importetur in oppositione contra virtutem et contra rationem, sed tamen implicite.

Tertio. Quantum ad reatum, arguitur contra superius dicta, quia reatus culpae seu macula peccati et poena damnii sequuntur ex aversione ei offensa; sed macula et poena sunt aquales in omnibus peccatis, nam reatus culpae seu macula est privatio gratiae et poena damnii est privatio gloriae, et quodlibet peccatum mortale privat tota gratia et tota gloria; ergo aversiones et gravitates omnium peccatorum mortalium ex quibus haec nascuntur sunt aquales. DURANDUS<sup>93</sup> et PALUDANUS, 4, d.22, q.1<sup>94</sup> ubi

<sup>91</sup> ArchTeolGram 53 (1990) 191-195.

<sup>92</sup> ArchTeolGram, 2 (1939) 286-292

<sup>93</sup> DURANDUS A SIO. PORTALDO, In Seminario Theologico Perpetuum Lombardum Commentariorum libri quatuor, 4, d.22, q.1. Anubites 1566, fol.357, n.8.

<sup>94</sup> PETRUS A PALUDB., Encyclopedie Opus in Quatuor Sententiis. d.22, q.1: Salamanca, 1552, 280a.

Capreolus, q.2<sup>93</sup> et Medina, Cod. De poenitentia, q.8, fine<sup>94</sup> propter hoc argumentum dixerunt poenam damni aequalem esse in omnibus damnatis.

Sed D. Thomas, 3 p., q.88, a.1c<sup>95</sup> ait reatus culpac et maculas resultantes ex aversionibus inaequalibus esse inacquales. Et ex contextu aperte colligitur poenam damni formaliter sumptam inaequalem esse. Quod etiam docet Scotus, 4, d.50, q.6, § Ad primam quaestionem<sup>96</sup>, Gabriel, 4, d.44, q.3, a.1, notab.2<sup>97</sup>, Soto, 4, d.16, q.1, a.1, § Et per id solvit, et d.50, q.un., a.4, post conclusionem 1am ex Abulensi super Malthacum 25, q.640<sup>98</sup>. [f.191v] Idem tenet Medina, hoc art.2<sup>99</sup> et Zumel, q.87, a.4, dub.2<sup>100</sup>.

Huius ratio non est sumenda ex inaequalitate graduum gratiae et beatitudinis, quos Deus diversis concedere posset et deberet si permanissent in gratia. Eveniet namque non raro eum qui committit peccatum mortale levius, privari pluribus gradibus gratiae et gloriae ad quam habebat ius, quam qui committit peccatum gravius; et tamen propter ea non erit dicendus habere maiorem maculam peccati aut maiorem poenam damni per se loquendo, sed per accidens. Ratio igitur praecipua et per se est quia in macula peccati seu reatu culpe formalissimum illius est ordo ad praecedentem culpam actualem quae adhuc manet imputabilis. Unde

<sup>93</sup> L. CAPREOLUS, OP, *Defensiones Theologicae D. Thomae Aquinatis*, 4, d.22, q.2: Turin 1906 (ed. Operebu, 1.6), p.450b.

<sup>94</sup> I. DE MEDINA, *In unum de poenitentia eiusque partibus commentarij*, tr 1, q.8: Salamanca 1549, f.26s-v.

<sup>95</sup> THOMAS AD, *Summa Theologicae*, 3 p., q.88, a.1c: ed. Leon.12, 301.

<sup>96</sup> IOANNES DUNS SCOTUS, *Quaestiones in librum quartum Sententiarum*, d.50, q.6, & Ad primam quaestionem: ed. Vivès, Paris, t.21 (1894) p.569.

<sup>97</sup> GABRIEL HUEL, *Supplementum in quartum librum Sententiarum*, 4, d.44, q.3, notab.2: Bruselas 1574, p.496.

<sup>98</sup> D. SOTO, OP, *Commentariorum... in Quartum Sententiarum*, tomus primus, d.16, q.1, a.1, § Et per id solvit, y d.50, q. un. a.4 Salamanca, 1557, t.2, p.67Rn.

<sup>99</sup> B. DE MEDINA, OM, *Expositio in primam secundae Angelici Doctoris D. Thomae Aquinatis*, q.73, n.2: Venecia 1602, p.378b.

<sup>100</sup> F. ZUMEL, OM, *In primam secundae S. Thomae Commentarii tomus primus*, q.87, a.4, dub.2: Salamanca 1594, p.654-657.

quamvis materiale maculae, quod est carentia gratiae, sit aequale, nihilominus est inaequalis ordo hujus privationis ad peccatum actuale. Vide infra, q.86. Similiter omnis poena essentialiter respicit culpam, et formaliter loquendo tanto gravior est quanto maior est indignitas alicuius ad recipiendum illud bonum quo privatur. Sicque tanto magis distat a beatitudine damnatus et tanto gravius punitur carentia beatitudinis quanto indignior est beatitudine ratione talis peccati. Hacc confirmantur a posteriori, quia damnatus habens graviora peccata vehementius tristatur, quia magis impeditus sit a divina visione. Et haec tristitia quac immediate nascitur ex carentia divinae visionis in iis qui habuerunt peccatum actuale perlinet ad poenam damni intrinseco, quamvis non primario, sed secundario; quare dolor de amissa beatitudine non est computanda ut poena diversa a poena damni, sicut exilium et tristitia inde resultans non computantur ut duas poenae et similiter abscissio manus, aut verbera, et dolor inde resultans non computantur ut duas poenae.

De his latius dicendum erit in q.87. Quac in hoc articulo 2 dicta sunt et in sequentibus dicentur, quomodo convenienter peccato omissionis, tractatum est q.72, a.6, dub.9<sup>102</sup>.

[f.192]

**Articulus tertius****Dubium 1<sup>o</sup>****Utrum gravitas peccatorum varletur secundum obiectum**

Prima CONCERNITO: *Illud peccatum est gravius quod circa altius obiectum versatur.* Ita D. Thomas hic; D. Antoninus, 1 p., tit.9, c.1, § 1<sup>03</sup>; Aegidius, 2, d.26, q.2, a.2 et d.35, q.2, a.2<sup>04</sup>;

<sup>102</sup> ArchTeolGrun 56 (1993) 271-274.

<sup>103</sup> ANTONINUS, Summa, 1 p., t.1, § 1. Lyon, 1529, f.98v b.

<sup>104</sup> AEGIDIUS COLUMNA ROMANUS, In Secundum Librum Sententiarum Quesitioes, d.26, q.2, a.2 y d.35, q.2, a.3: Venecja 1581, L2, p.327a y 327.

Carthusianus, 4, d.16, post q.1 § *Quaeritur ergo*<sup>106</sup>; idem, quamvis non adeo expresse Durandus, 2, d.21, q.3<sup>107</sup>.

PROBATOR 1º, quia sicut praecipua dignitas et perfectio qualitatis consistit in ratione specifica, ita praecipua gravitas malitiae peccati petenda est ab specifica ratione; haec autem sumitur ab obiecto. Supra, q.72, a.1<sup>108</sup>. CONFIRMATOR 1º, quia quanto obiectum est altius et dignius tanto magis dissonum rationi rectae erit circa illud inordinate se habere. CONFIRMATOR 2º exemplo aegritudinis, quae tanto gravior est quanto digniorem animalis partem occupat. Quare inordinata affectio animac circa Deum immediate gravior est quam quae immediate fertur contra hominem, quia Deus summum bonum est et spiritualis vitae posttra principium.

OBVICIES 1º, quia malitia peccati et eius gravitas praecipue consistit in privatione debitae honestatis, ut in praecedenti articulo; ergo gravitas non sumitur a dignitate obiecti. RESPONDET D. Thomas, hic, ad 2, negando consequentiam, quia ex positiva conversione ad obiectum resultat privativa malitia et aversio, et ex magis monstruosa conversione quae versatur circa perfectius obiectum resultat turpior privatio et aversio.

OBVICIES 2º, quia si aliquis orei sine debita attentione et reverentia quando non tenetur orare, malitia talis peccati est circa dignissimum obiectum scilicet Deum, et tamen levior quam malitia homicidii quae est immediate circa inferius obiectum; ergo non sumitur gravitas peccati ex dignitate obiecti. RESPONDEO negando consequentiam, nam sumitur ex dignitate obiecti servata proportione inordinationis contingentis circa tale obiectum, et propterea peccatum minus inordinatum contra Deum aliquando est gravius quam peccatum magis inordinatum contra hominem, ut dif[192v]etur dub.2.

<sup>106</sup> DIONYSIUS CARTHUSIANUS, In Sententiarum librum IV, Commentariorum locupletissimi, d.16, post q.1, § *Quaeritur ergo*: Venetia 1584, p.221s.

<sup>107</sup> DURANDUS A STD. PERTIANO, In Sententias Theologicas Post Lombardi Commentariorum libri quatuor, 2, d.21, q.3. Abbatiae 1566, fol.166, n.4.

<sup>108</sup> ArchTeolGran 56 (1993) 201-214.

OBICIES 3º, quia praecipua gravitas peccatorum sumitur ex prohibitione illorum; ergo non ex dignitate obiecti. PROBATOR antecedens, quia malitia peccati consistit praecipue in transgressione legis, ut supra q.71, a.6, dub.5<sup>102</sup>; ergo quanto gravior et arctior fuerit prohibitus tanto gravior erit peccatum. RESPONDEO negando priorem consequentiam, quia circa dignius obiectum, graviores leges imponuntur, quas transgredi turpis est. Et ideo, quoties peccatum est circa dignius obiectum, est contra graviorem legem.

Sed URGEbis 4º, quia potest Deus idem obiectum quod modo prohibitum est prohibere postea strictiori obligatione, sicut Ecclesia prohibet strictius clericis luxuriam quam iure naturae prohibita sit; ergo non semper circa dignius obiectum est gravior obligatio. RESPONDEO distinguendo antecedens: nam idem obiectum quod modo prohibitum est non potest Deus prohibere strictius nisi addat aliud obiectum saltu partiale quod simul cum illo prohibatur; potest tamen strictius prohibere addendo aliud obiectum quasi partiale simul, sicut Ecclesia prohibet clericis luxuriam supra honestatem castitatis et turpitudinem luxuriae addendo honestatem cultus divini ad quam Ecclesia ordinat castitatem clericorum. Unde sequitur in opposito peccato addi turpitudinem sacrilegii. Sic Deus addito huiusmodi obiecto religionis olim iudeis quaedam praeceperit strictius quam pracepta essent iure naturae. Et quamvis nullum aliud obiectum adderetur nisi subiectionis et obedientiae respectu Dei, satis esset. Itaque semper strictior prohibitus mutat obiectum peccati.

Hinc COLLIGITUR 1º, in quo sensu falsa sit et in quo sensu vera sententia Medinae in hoc articulo<sup>103</sup> dicentis implicare contradictionem peccatum ex se minus grave prohiberi a Deo strictius, et propterea offici gravius. Quod PROBAT 1º, quia si peccatum est gravius eius obiectum est peius. 2º, quia implicat contradictionem Deum non detestari magis quod magis malum est. His rationibus

<sup>102</sup> ArchTeolGran. 2 (1939) 275-280.

<sup>103</sup> B. DE MEDINA, OP, *Expositio in primam secundie Angelici Doctoris D. Thomae Aquinatis*, 1.2., q.72, a.3. Venezia 1602, p.279a.

recte probantur propositiones duae: 1<sup>a</sup> est, praecepto naturali non posse strictius prohiberi nisi quod est turpius ex se. 2<sup>a</sup> est praecepto positivo non posse strictius prohiberi peccatum quod post prohibitionem non acquirat maiorem malitiam, et non mu[f. 193]tet saltem partem obiecti. Verumtamen his non obstantibus illud quod ante prohibitionem positivam erat levius peccatum potest fieri gravius peccatum per strictiorem prohibitionem positivam, modo nuper explicato in obiectione 4<sup>a</sup>. Verumtamen huius obligationis mensura non potest esse sine ratione et proportione aliqua rei quae praecepitur ad obligationem, idque sive in lege divina sive humana. Quo fundamento non esse possibilem obligationem sub mortali de omnibus rebus etiam levibus. Probatum est supra, q.BB, a.1, dub.8<sup>111</sup>.

**COLLIGITUR** 2<sup>a</sup>, quo sensu vera sit sententia Vitoriae, in *Relectione de potestate civili*, n.19<sup>112</sup>, dicentis errorem esse iunctionum theologorum sumere gravitatem culpae ex quantitate obligationis, cum e contra quantitas obligationis sumenda sit ex gravitate culpae. Loquebatur autem Vitoria de lege positiva. In hac sententia illud verum est aliquas res tam leves esse comparatione finis quem debet respicere legislator ut ex illis evidenter colligatur non posse prohiberi sub gravi obligatione. Sed ista levitas aut gravitas non est eadem in ordine ad quemcumque praecatum et communitalium, et propterea res quae levis est laicis gravis erit clericis et gravior religiosis, et propterea gravitatem obligationis sub mortali non solum ex vi verborum, sed etiam ex momento rei praeceptae colligendam esse. Traditur in Clementinis, *Exivi*, de verborum significacione<sup>113</sup>; et docent communiter Doctores, quos retuli a.3, *de Voto*, sect.10, de voto obedientiac, dub.6, n.4<sup>114</sup>, et consonat Castro, I *De lege penali*, c.5, doc.2<sup>115</sup>. Nihilominus

<sup>111</sup> *ArcTeolGraec*, 53 (1990) 232-239.

<sup>112</sup> P. VITORIA, OP, *Relectione de potestate civili*, : ed. BAC 198 (Madrid 1960), BAC.

<sup>113</sup> C.I.C., c.1, XI, in Clementinix; ed.Tiiedberg, 2. 1194sq.

<sup>114</sup> No nos ha quedado este commentatio.

<sup>115</sup> ALFONSO DE CASTRO, OPIM, *De potestate legis penalis*, Libri duo, L1, c.5, doc.2: Ambet 1568, f.42a.

aliqua sunt quae ex se nullam culpam continent. Verumtamen si evitentur magnopere conferunt ad finem communitalis, et ea si praecipuis prohibeat sub gravi obligatione crunt gravia peccata; si sub levi, erunt levia. Et in his merito ex tenore verborum et gravitate praecepti colligitur gravitas peccati quidquid dicat Vitoria citatus.

Restat adhuc inquirendum, utrum praincipua gravitas peccatorum [f.193v] sumatur ab obiecto formali vel potius a materiali. Videtur enim sumi potius ab obiecto formali et fine ultimo, quia ab illo praecipue sumitur essentia specifica actus moralis, et gravitas praecipue resultat ex ratione specifica, ut dictum est in principio huius articuli.

**Nihilominus sit 2<sup>a</sup> CONCLUSIO:** *Praincipua gravitas peccatorum non semper sumitur ex obiecto formali et directe et primario intento per actum.* PROBATUR, quia si quis velit occidere ad furandum propter utilitatem pecuniae, obiectum formalissimum et magis per se intentum erit utilitas pecuniae a qua speciem physicam accipit actus humanus, et tamen praincipua malitia illius actus non sumitur ab utilitate pecuniae sed potius ex dignitate hominis cui ablata est vita et quo invito accepta est illius pecunia. CONFIRMATUR, quia ut plurimum in obiecto praecipue movente plus est bonitatis et minus malitiae quam in obiecto indirecte volito, et ideo ab obiecto indirecte volito ut plurimum sumitur gravitas maxima.

Ad rationem autem propositam ante conclusionem secundam, RESPONDEO, ex specie physica et praincipua actus mali non tam sumi malitiam et gravitatem quam ex specie pure morali. Cuius ratio est quia species physica est in ordine ad illud bonum quod praecipue allicit voluntatem quamvis cum indebita appreciatione, et hoc non habet tantum malitiae quantum illud quod propter hoc bonum indirecte accipitur et quasi toleratur a voluntate. Quod si URGEAS adhuc: praincipua dignitas et excellentia actus boni accipiatur ex fine praecipue et primario intento et ex illius specie physica; ergo similiter praincipua gravitas malitiae accipienda erit ex specie physica actus et illius obiecto formalissimo, RESPONDEO negando consequentiam. Et ratio discriminis est quia bonum est

primario et per se intentum, malum autem semper est indirecte et secundario volitum, quia nemo intendens ad malum operatur. Nihilominus si finis seu formale motivum habeat malitiam non minorem quam aliquod obiectum [f.194] materiale, maiorem malitiam conferet in actuum quam obiectum materiale, quia obiectum formale est magis volitum.

### Dubitatur 2<sup>a</sup>

**Utrum peccatum quod ex objecto gravius est  
semper sit gravius quolibet alio, quamvis alterius  
gravitas crescat intra eandem speciem**

Affirmant aliqui thomistae apud Medinam, hic<sup>116</sup>. Valde favebat Durandus, in 4, d.22, q.1c, n.8<sup>117</sup>, dicens circumstantias quae non mutant speciem peccati non adacquare gravitatem altioris speciei.

Principium argumentum est, quia quantumcumque in infinitum crescat perfectio frigoris intra eandem speciem numquam tamen superabit nec attinget perfectionem caloris. Et universaliter nulla inferior species potest sive per intensionem sive per extensionem sive quovis alio modo attingere perfectionem superioris speciei; sed gravitas malitiae proveniens ex objecto pertinet ad speciem peccati, ut supra dictum est; ergo non poterit superari nec adaequari a gravitate malitiæ aliunde proveniente. Observa modum proponendi hoc argumentum, nam contingit saepe individuum imperfectioris generis sive speciei subalternae esse perfectius quam individuum perfectionis speciei subalternae, sicut hic equus perfectior est sole, et tamen equus est sub corpore corruptibili, et sol, sub incorruptibili. Verum hoc provenit ex differentia specifica equi, non ex intensione aut extensione aut multiplicitate intra eandem speciem infinitam. CONFIRMATUR, quia

<sup>116</sup> B. DE MEDINA, OP, Expositio in primum secundarum Angelici Doctoris D. Thomae Aquinatis, q.73, a.3: Venecia 1602, p.379a.

<sup>117</sup> DURANDUS A STO. PORTIANO, In Sententias Theologicas Petri Lombardi Commentariorum libri quarti, 4, d.22, q.1c, n.8: Arubetos 1566, fol.357, n.8.

eadem ratione licet in infinitum protendatur linea numquam attinget perfectionem superficie, nec superficies pervenire potest ad perfectionem corporis.

Nihilominus sit certa CONCLUSIO: *Licet unum peccatum sit ex obiecto et ex ratione specifica gravius alio, potest tamen in individuo esse simpliciter et absolute levius.* Tenet D. Thomas, 2.2., q.10, a.3 ad 1<sup>118</sup> et hoc q. 73, a.5; Glossa, c. Quaero, 6<sup>1</sup>, q.1<sup>119</sup>. Tenet Dionysius Cartusianus, 4, d.16, post q.1, § *Quaeritur* [f.194v] ergo fine<sup>120</sup>; Soto, 4 De iustitia, q.6, a.3, et 1.5, q.10, a.3<sup>121</sup>. Communiter Thomistae in praesenti. Suárez, 3 p., 13, disp.66, sect.2<sup>122</sup>.

Auctoritate PROBATUR ex D. Augustino, 1.4 De Baptismate contra donatistas, c.5 et 20<sup>123</sup>, et refertur c. Quaero, 6, q.1<sup>124</sup>, ubi non audet praecipitare sententiam circa duas quaestiones definiendas, quarum altera est quis duorum hominum gravius peccet: ille qui ignoranter est haereticus (hoc est prae hebetudine et imperitia litterarum quamvis cum pertinacia) vel ille qui scienter est avarus. Altera, quid sit praeponendum: haereticus aliqui in moralibus bonus vel catholicus sceleribus plenus. Et hac aestimatione Augustinus ostendit contingere posse ut circumstantia aut multitudo criminum minus gravium vincat gravitatem criminis ex genere gravioris quale est haeresis. Et Urbanus, c. Scimus, 12, q.1<sup>125</sup> aperte ait minori poena puniendos aliquos infideles qui bona opera fecerunt, quam aliquos fideles sceletibus plenos, et

<sup>118</sup> THOMAS AQ. *Sixma Theologiae*, 2.2., q.10, a.3 ad 1: ed. Leon.8, 81b.

<sup>119</sup> C.I.C. c.21, C.VI, Q.1, ed. Friedberg, 1, 559.

<sup>120</sup> DIONYSIUS CARTUSIANUS. In Sententiarum librum III Commentarii locupletissimi, d.16, post q.1. ¶ *Quaeritur ergo*: Venecla 1584, p.221a.

<sup>121</sup> D. SOTO, OP, *De iustitia et iure*, 1.4, q.6, n.3 Salamanca 1569, p.309; y 1.5, q.10, n.3: ib p.454a.

<sup>122</sup> F. SUÁREZ, *Commentarii ac Disputationes in tertium partem divi Thomae Iouris tenius*, disp.66, sect.2: Salamanca 1595, p.971 C.

<sup>123</sup> AUGUSTINUS, *De baptismate contra donatistarum*, 1.4, c.5: CSFI, 51, 228; PL. 43, 157a; 1.4, c.20. CSFI, 51, 254a; PL. 43, 171a.

<sup>124</sup> C.I.C. c.21, C. VI, q.1. ed.Friedberg 1, 559.

<sup>125</sup> C.I.C. c.9, C.XII, q.1. ed. Friedberg, 1, 679.

videtur loqui de iis quibus infidelitas peccatum est, et non de iis qui propter ignorantiam invincibilem excusantur.

Ratione PROBATUR conclusio, quia licet ex genere et obiecto gravius peccatum sit homicidium quam furtum, nihilominus expiare locupletissimum aerarium publicum valde necessarium ad egenorum alimenta, absolute gravius peccatum erit quam infimi alicuius hominis imperfectio, praescritum si homicida fuerit prius gravissima iniuria incitatus et repente occiderit. CONFIRMATUR, quia non possumus fingere furtum tam ingenti summae esse diversae speciei ab aliis furtis levioribus; sic enim debemus fingere infinitas species furti correspondentes infinitis partibus pecuniae quec addi et substrahi possunt in furto. Nulla enim maior ratio propter quam major pecuniae quantitas variet speciem, non vero minor quantitas. 2º PROBATUR, quia aliqua peccata, que ex obiecto et genere suo leviora sunt, magis distant a levitate peccati venialis quam alia quea ex obiecto graviora sunt, sicut furtum mille aureorum magis distat a levitate peccati venialis quam [f.195] vulnus aliquod non admodum grave inflictum. Nam potest esse vulnus eiusmodi ut quamvis peccatum mortale sit illud infligere, nihilominus quodlibet vulnus notabiliter levius non sit peccatum mortale; at vero furtu plurima notabiliter leviora quam furtum mille aureorum erunt peccata mortalia. 3º PROBATUR, quia si nullum peccatum ex obiecto et specie sua levius attingeret gravitatem eius peccati quod est gravius ex sua specie, sequeretur aliquam fornicationem simplicem excedi a gravitate alicuius periutii plusquam exceditur unitas a numero centum mille millium. Probo sequelam: si demus fornicationem simplicem mortalem factam cum infimo gradu deliberationis et ex ignorantia crassa et concurrente passione et aliis circumstantiis minuentibus gravitatem, hac fornicatione duplo gravior esse poterit alia fornicatio propter maiorem libertatem et pleniorem cognitionem mali. Rursus, si quis una et eadem volitione velit mille fornicationes committere, ille actus erit plus quam quadruplo gravior quam praecedens. Rursus, si hoc peccatum committatur ab homine qui propter peculiaria beneficia magis teneretur se cohibere. Adjunguntur aliqui gradus malitiæ unde talis voluntas committendi mille fornicationes ex malitia proveniens in tali persona cum tanta

libertate esse plus quam decies gravior quam prima illa fornicatio. Rursus, eandem latitudinem gravitatis colligere possumus in aliis peccatis. Exemplum sit incestus; unde si levissimus incestus gravior est gravissima fornicatione, sequitur eum incestum qui decies gravior est quam levissimus incestus esse centies gravius levissima fornicatione. Sicque, multiplicato numero per decem, gravissimum furtum erit millies gravius levissima fornicatione, et detractio erit decies millies gravius et contumalia centies mille gravius, et adulterium mille millies gravius, et homicidium decies mille millium, et perjurium unicum centies mille millium. Et non curo utrum inter has numeratas species peccatorum sit iste ordo quo propositae sunt; id enim certum est multo plures species esse alias graviores aliis inter fornicationem et homicidium, inter quas nisi aliquod individuum inferioris speciei aliquando [f.195v] gravius sit quam aliquod individuum superioris speciei multo gravior excessus quam dictus colligi poterit.

4<sup>a</sup>, quia tam fervens, difficilis et utilis potest esse actus humilitatis aut patientiae et elicitus ab homine tanta gratia praedito, ut plus mercatur quam aliquo remisso et faciliter actu religionis, quamvis haec virtus altior sit secundum suam speciem. Videtur enim communis sensus spiritualium virorum supponere magis placere Deo illum qui graves iniurias patienter tolerat quam si recitaret brevem aliquam orationem vel genuflecteret coram aliqua imagine Salvatoris; ergo idem erit in peccatis secundum eandem proportionem. CONFIRMATUR, quia actus quilibet infimae cuiusque virtutis in Christo Domino (praeter valorem extrinsecum qui infinito intervallo superabat meritum cuiusque altissimae virtutis nostrae propter dignitatem personae) quoad intrinsecam bonitatem habebat ex se et ab intrinseco proportionem ad maius premium quam actus virtutis superioris elicitus a pura creatura, idque propter maiorem cognitionem boni, maiorem intensionem actus, et extensionem obiectivam, et quia erat magis voluntarius, et satisfaciebat praecepto strictius obliganti, et propter alias circumstantias cognitas et volitas per actum.

5<sup>a</sup> PROBATOR ostendendo rationem oppositae sententiae esse omnino fallacem; nam si solida esset, probaret eum qui committit

unicum homicidium, etiam si ex maxima passione et occasione et repente, verum cum deliberatione sufficiente ad mortale, indignorem esse Dei gratia et graviori poena puniendum in inferno, licet nullum aliud peccatum habeat, quam qui exerceret frequentissima latrocinia et innumeris fornicationes cum plurimis circumstantibus aggravantibus intra eandem speciem ita ut in longissima vitae periodo nulla esset possibilis multitudo aut gravitas similium peccatorum quae digna esset poena tanta quanta unicum homicidium. Probatur sequela, quia similiter innumera individua inferioris speciei non pervenit ad perfectionem superioris speciei. CONFIRMATUR, quia quamvis res publica quandoque graviora peccata [f.196] levius puniat quia levius detrimentum afferunt reipublicae, Deus autem semper graviora peccata gravius puniet, quia eius punitio respicit deordinationem et offensam, quam poena debet reducere ad ordinem. Et quamvis ex Dei misericordia minor poena sensus assignetur peccatis singulis quam merentur, adhuc recta ratio dictat minus esse condonandum gravioribus peccatis quam levioribus in alio seculo, ad quod praecipue iustitia pertinet. Quapropter Apocalipsis, 18 [7], de Babylone dicitur: *Quantum glorificavit se et in deficitis fuit, tantum date illi tormentum et luctum.* Et Deuteronomio 25 [2] Secundum mensuram delicti erit et plagarum modus.

Sed contra hanc rationem ARTICLES 1º, quia probare videtur collectionem aliquam venialium maioris gravitatis esse in ratione peccati quam unicum mortale; consequens tamen falsum esse constat ex q.88, supra explicata, a.4, dubio 2<sup>126</sup>. Sequela probatur quia aliqua collectio venialium erit digna maiori poena quam unicum mortale. RESPONDEO quamcumque collectionem venialium per se loquendo et absolute uniri leviori poena quam levissimum mortale quia non punitur poena damni nec poena sensus per se aeterna nec per accidens aeterna. Et hoc sufficit ut non probetur esse maior malitia et gravitas in collectione omnium venialium quam in uno mortali quamvis concederetur poenam sensus plurimorum venialium intensiorem esse poena unius

<sup>126</sup> Véase Arch Teol Gran 55 (1992) 223-230.

moralis ex levioribus. Sed de his diximus in q.88, a.4, dub.2 et dicemus q.87, a.4.

OBIICIES 2<sup>a</sup>, quia reatus poenae est passio vel effectus proveniens ex gravitate peccati; ergo potest reatus poenae maioris provenire ex minori gravitate peccati. PROBATUR consequentia, quia intensior calor nascitur ex igne quam ex animali, et tamen calor est passio ignis et animalis, et perfectior est essentia animalis quam essentia ignis; ergo contingere potest ut eadem passio ex essentia minus perfecta resultet magis intensa quam ex perfectiori essentia. RESPONDEO: si essentia ignis et animalis [f.196v] comparentur in aliquo gradu ratione cuius sint radices caloris praescindendo a qualibet alia qualitate ut sic, ignis perfectior est animali. Ceterum animal perfectius est igne propter alias qualitates et potentias sensitivas quarum est radix. At vero peccata non comparamus nisi secundum adaequatum principium et radicem reatus ad poenam quae est inordinatio et malitia; unde maior debet esse haec malitia ubi maior fuerit poena.

Ad argumentum adversariorum RESPONDEO distinguendo antecedens: quia licet nulla perfectio physica et realis inferioris speciei attingat perfectionem superioris speciei, nihilominus perfectio moralis attingere potest: equus enim physice perfectior est quacumque vi auri et argenti, et nihilominus quoad moralem aestimationem aliquod pondus auri vel argenti pretiosius erit equo. Ita contingit in virtutibus et peccatis, ut supra explicatum est.

Sed instaurari potest idem argumentum, quia aliquae species peccatorum sunt pure morales, ut si unus propter utilitatem pecuniae furetur, alter vero propter eandem utilitatem iuret falsum; species physicæ non distingueuntur, distingueuntur autem species morales, ut saepe dictum est; ergo saltem in illis non dabitur individuum minus perfectæ speciei quod attingat gravitatem superioris speciei. PROBATUR consequentia, quia sicut se habent species physicæ inter se ita se habent species morales inter se; ergo sicut inter species physicæ individuum minus perfectæ speciei nunquam attingit perfectionem superioris speciei, sic etiam in speciebus moralibus. CONFIRMATUR 1<sup>a</sup>, quia gravitas seu perfectio moralis peccatorum est essentialis illis; ergo implicat

contradictionem in uno individuo esse speciem perfectiorem et graviorum et non esse maiorem gravitatem. CONFIRMATUR 2<sup>a</sup>, quia si gravitas illa servata eadem specie crescit ita ut superet individuum alterius speciei vel adaequat illud, consequens est gravitatem communem utrius peccato esse illis accidentalem ut in illa gravitate commensurentur aliqua communis mensura eiusdem rationis.

RESPONDEO tam species physicas quoniamcumque entium quam morales species virtutum et peccatorum sic se habere ut licet nullum individuum speciei minus perfectae in [f.197] se et formaliter sit perfectius, tamen in ordine ad aliquem effectum producendum aut destruendum possit esse perfectius et efficacius sicut quamvis quilibet gradus lucis perfectior sit quilibet intensissimo calore, nihilominus intensissimus calor efficacior est ad producendum calorem quam exiguus aliquis gradus lucis. Et licet forma ignis et eius virtus motiva perfectiores sint forma et virtute motiva terrae, tamen in ordine ad movendum aliquid potentior erit maxima pars terrae ruens quam valde exiguus ignis. Denique, licet in ratione infirmitatis gravior sit ex sua specie quae cerebrum aut cor occupat quam quae manus afficit, nihilominus tam gravis infirmitas potest occupare manum ut efficacior sit ad afferendam mortem, et propterea absolute gravior quam infirmitas levius cerebri aut cordis. Sic igitur ad effectum merendi gratiam et gloriam, et reddendi hominem dignum poena sensus potest individuum unius speciei moralis minus perfectae habere maiorem vim, et propterea esse simpliciter et absolute gravius, sicut et contra contingit in virtutibus ad effectum merendi gratiam et gloriam.

Hinc CONSTAT 1<sup>a</sup>, gravitatem peccatorum non esse ita essentiale peccatis ut pendeat a sola physica nec a sola specie morali quamvis semper sit intrinseca, scilicet proveniens a differentiis harum specierum tam physicis quam moralibus, a quibus accipit incrementum et decrementum. Et praeterea a differentiis numericis actuum in quibus est extensio obiectiva, intensio, et alias circumstantiac.

COLLIGITUR 2<sup>o</sup>, hanc gravitatem esse veluti passionem peccatorum, nam omnibus et solis convenit et non est de eorum essentia, sed manat ab illa, siquidem nec consistit in sola ratione generica aut sola specifica aut sola numerica, sed manat ab omnibus differentiis quasi conflatis in unum; et tamen est eiusdem rationis in peccatis diversarum specierum, ut dictum est.

COLLIGITUR 3<sup>o</sup>, hunc excessum gravitatis in peccato inferioris speciei pertinere ad monstruositatem positivam quasi ad radicem, quae quidem est magis odibilis, quia ab intrinseco habet ut detestabiliorem privationem producat a qua habet ut sit formaliter gravius.

[f.197v]

### Dubitari potest 3<sup>o</sup>:

**Utrum illud malum morale quod non est  
offensa Dei nec transgressio legis divinae,  
quia invincibiliter ignorantur,  
sed solum est contra rationem rectam  
possit aliquando esse gravius  
quam peccatum quod est contra Deum et eius legem**

1<sup>o</sup>: *Quod aliquod huiusmodi malum destruat gratiam et gloriam ac proinde gravius sit quam peccata venialia eorum qui Deum agnoscunt constat ex dictis supra, q.88, a.1, dubio 17 et ultimo<sup>127</sup>.*

2<sup>o</sup> DICENDUM est tam atrox esse potest hoc malum ignorantis invincibiliter Deum ut gravius sit quam aliquod peccatum mortale cognoscentis Deum, veluti si quis per summam crudelitatem devastare vellet plurima regna nulla iniuria accepta, sed sola libidine nocendi, quamvis ignoret Deum invincibiliter, si tamen cognosceret esse contra regulam rationis, gravius malum morale committeret quam qui gravi iniuria appetitus optaret vulnus inimici etiamsi cognosceret Deum et eius legem. Et RATIO est quia

huiusmodi malo morati respondet poena danni et poena sensus aeterna, et multiplicata poena sensus adaequare poterit et superare poenam alicujus peccati mortalis quae non est infinita: ergo similiter gravitas mali adaequabit et superabit. Consequentia constat ex dictis in praecedenti dubio, ratione 5<sup>a</sup>.

Quod si RESPONDEAS poenam sensus huius mali esse inferioris ordinis, de hoc non est disputando in praesenti; sed quanvis admittatur non satisfaciens argumento, nam poenae quae secundum se sunt inferioris ordinis in aestimatione morali adaequare possunt poenam aliquam superioris ordinis, si nimium intendantur, sicut maior poena est expoliari ditissimo patrimonio quam pari abscessionem unius digiti vel auriculae citra infamiam. Quae tamen poena est in altiori ordine quam expoliatione divitiarum.

#### Articulus quartus

##### Utrum gravitas peccatorum differat

secundum dignitatem virtutum quibus opponuntur

[f.198]

Partem negativam videntur supponere qui docent inimicorum dilectionem caeteris paribus esse magis meritoriam dilectionem amicorum, ut Albertus et Argentinas apud Bañez 2.2., q.27, a.7<sup>124</sup>; Paludanus, 3, d.30, q.1<sup>125</sup>, ubi Durandus<sup>126</sup> et Almain, q.2<sup>127</sup>, et propendet D. Thomas, q.1, a.3 eiusdem distinctio-<sup>128</sup>, ubi Magister videtur esse dubius<sup>129</sup>.

<sup>124</sup> D. BAÑEZ, OP, *De fide, spe et charitate. Scholastica Comentaria in Secundum secundae Angelicis Doctoris partem*, q.27, a.7: Salamanca 1586, col.1080 A.

<sup>125</sup> PETRUS A PALUDE, *Tertium scriptum super tertium Sententiarum*, d.30, q.1: Paris 1517, f.170rb.

<sup>126</sup> DURANDUS A STO. PORTIANO, *In Sententias Theologicas Petri Lombardi Commentariorum libri quatuor*, 3, d.30, q.2, a.7: Amberes 1566, fol.266v.

<sup>127</sup> JACOBUS ALMAIN, *Aurea... moralia*, lib.3, dist.13, q.1: Amboise 1517, fol.98va.

<sup>128</sup> THOMAS AQ., *In Sententias Petri Lombardi*, 3, d.30, q.1, a.3: ed. Vivès 9, 473s.

<sup>129</sup> PETRUS LOMBARDUS, *Libri IV Sententiarum*, 3, d.30, c.un.: ed. Quaracchi 1916, 1.2, p.687ss.

PROBARI potest 1<sup>o</sup>, quia longe melior virtus est quae sufficit ad beatitudinem consequendum quam quae non sufficit; illa autem virtus excludit minora mala, ait enim Dominus, Matthaeo 5 [20]: *Nisi abundaveris iustitia vestra plus quam scribarum et phariseorum, non intrabiris in regnum coelorum.* Ac deinde ad hanc perfectionem et abundantiam iustitiae pertinere dicit cohibere illam quae minus malum est quam homicidium, et vilare petulantiam oculorum qua turpior est fornicatio. CONFIRMATUR 1<sup>o</sup>, quia subdit Dominus ibidem [v.46]: *si diligitis eos qui vos diligunt quam mercedem habebitis?* in quibus et sequentibus verbis videtur Dominus docere dilectionem inimicorum praestantiorum esse dilectione amicorum; sed odium amicorum est peius quam odium inimicorum; ergo non semper gravius peccatum opponitur perfectioni virtuti. CONFIRMATUR 2<sup>o</sup>, quia Paulus inde commendat charitatem Christi, quia nos inimicos dilexit [Rom 5,8ss]. Unde D. Bernardus, sermone De Passione, feria IV, adductis illis verbis *maiorem charitatem nemo habet quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis* [In 15,13], subdit: Maiorem habuisti tu, Domine, qui posuisti etiam pro inimicis<sup>124</sup>. CONFIRMATUR 3<sup>o</sup>, quia Patres docent dilectionem inimicorum esse cacumen perfectae [f.198v] charitatis ut, ex Augustino, Glossa in id Psalmi 118 [18]: *considerabo mirabilia de lege tua*,<sup>125</sup> et Augustinus in Enchiridio, c.73 et 74<sup>126</sup>; Chrysostomus in dicta verba Matthaei 5, hom. 18<sup>127</sup>; Hieronymus, in eadem verba<sup>128</sup>. Vide Gregorium, 4 Moralia, c.12 et 13<sup>129</sup>.

<sup>124</sup> BERNARDUS, Sermo de Passione Domini, Ieria IV Hebdomadæ Sanctæ: ed. Cisterciennes (Roma 1968) 5, 5B, 4.

<sup>125</sup> Cf Biblia Sacra cum Glossa ordinaria et apostillæ N. de Lira..., Ps 118 (18): Lynn 1590 t.5, col.1351.

<sup>126</sup> AUGUSTINUS, Enchiridion ad Laurentium de fide et spe et caritate. c.24, nn.736: CCL 46, 888; PL 40, 2669.

<sup>127</sup> IOANNES CHRYSOSTOMUS, Commentarius in S. Mt. Evangelium, Moralia 18: PG 57, 271s.

<sup>128</sup> HIERONYMUS, Commentarii in Evangelium Matthæi, 5: CCL 77, 34: PL 26, 42.

<sup>129</sup> No hemos logrado verificar esta cita.

ARGUTUR 2<sup>a</sup>, quia ex Aristotele, 2 Ethicorum, c.10<sup>140</sup>, boni operis difficultas valde commendat dignitatem virtutis; cuius vis et robur est ad superandam difficultatem; e contra vero difficultas operis studiosi extenuat valde turpitudinem vitii oppositi, nam minus malum est caeteris paribus difficile preeceptum violare, quam facile; ergo ex perfectione virtutis colligitur leve esse vitium quod illi opponitur. CONFIRMATUR 1<sup>a</sup>, quia propterea D. Augustinus, 14 De Civitate Dei, c.12<sup>141</sup>, exagerat peccatum Adami ex his omnibus circumstantiis quae facile reddebant preecepti observantiam. CONFIRMAT 2<sup>a</sup> Durandus, quia propter hanc difficultatem et maiora impedimenta adversantia opus est maiori conatu voluntatis ad actum virtutis difficilioris, quamvis sit eliciendus in eadem intensione in qua alius minus difficilis; ergo ille actus erit praestantior quamvis peccatum illi oppositum sit levius<sup>142</sup>. CONFIRMATUR 3<sup>a</sup>, quia virtus difficilior purior est ab humano affectu quam quae grata et suavis est; unde tota intensio actionis reducitur in virtutem.

3<sup>a</sup> PROBATUR exemplis: ex difficultate colligi dignitatem virtutis et levitatem vitii oppositi quia hac ratione D. Gregorius, 1 Moralium, c.2, colligit fuisse immensi preconii bonum inter malos exitisse Iobum, cum tamen illi minus malum esset malum fuisse<sup>143</sup>. CONFIRMATUR 1<sup>a</sup>, quia caeteris paribus gravius est quodlibet peccatum [f.199] post Evangelium quam ante Evangelium commissum, et nihilominus laudabilior fuit quaecumque virtus ante Evangelium. Sic enim Ambrosius, De Santo Joseph, c.1 circa initium<sup>144</sup> commendat eius benevolentiam erga tradidores fratres, quia fuerint ante Evangelium. Et Gregorius Naziancenus, Oratione 20 de Sanctis Machabaeis<sup>145</sup> extollit corum constan-

<sup>140</sup> ARISTOTELIS, *Ethica ad Nicomachum*, 1.1, c.10: Basilea 1563, cols R3v.

<sup>141</sup> AUGUSTINUS, *De civitate Dei*, 1.14, c.12: CCL, 48, 433a; PL, 41, 420.

<sup>142</sup> DURANDUS A STO. PERTIANO, *In Sententias Theologicas Petri Lombardi Commentariorum libri quinque*, 3, d.30, q.2, n.7: Ambrae 1566, fol. 266v.

<sup>143</sup> GREGORIUS MAGNUS, *Moralium libri sive Expositio in librum B. Job*, 1.1, c.1 CCL 143, 25; PL 75, 528a.

<sup>144</sup> AMBROSIUS, *De Joseph*, c.1, 3: CSEL 32/2 74; PL 14, 673s.

<sup>145</sup> GREGORIUS NAZIANCENUS, *De Sanctis Machabaeis*, Oratione 13, 1 y 12 PG 35,

tiam, quia ante Christi passionem martyrum subierint; quia si post Christi passionem vixissent multo praeclariora facturi essent. CONFIRMATUR 2<sup>a</sup>, quia laudabilior fuit fides atque constantia illa qua Machabaeos filios obtulit mater martyrio, 2 Machabaeorum 6 [7,27ss], quam si alios obtulisset nulla necessitudine sibi conjunctos, et tamen culpa levior esset in matre filiorum morte frangi quod in sancta felicitate quae se et filios septem martyrio consecravit. Commendat D. Gregorius, homilia 1<sup>a</sup> in Evangelium<sup>143</sup>.

4<sup>a</sup> ARGUITUR, quia ex duobus peccatis illud quod repugnat virtuti minus perfectae includit totam malitiam alterius, et addit aliiquid, sicut minus perfecta virtus est quae solum homicidium excludit, quam quae iram; et tamen homicidium continet totam malitiam irac et addit aliiquid.

5<sup>a</sup> ARGUITUR, quia carentia visionis Dei minus malum est quam odium Dei, et tamen visio Dei perfectior est charitate; ergo non semper peius est quod opponitur perfectiori.

6<sup>a</sup>, melior est actus qui est in consilio quam qui est in praecepto; nam ille est hecnicus et perfectionis, sicut vovere castitatem simpliciter altius est quam castitas coniugalis; atqui omissio actus praecepti est magis mala quam omissio consili; ergo non semper peccatum erit [f.199v] gravius quod digniori virtuti opponitur.

7<sup>a</sup> ARGUITUR, quia in naturalibus non est magis malum quod enti meliori opponitur, nam calor perfectior est quam humiditas, et calori opponitur frigus, humiditati autem opponitur siccitas, et tamen qualitas perfectior est frigus quam siccitas; ergo similiter in moralibus.

Ajia difficultia argumenta solventur ex dicendis in concl. 3.

<sup>143</sup> p. 931-934.

<sup>144</sup> GREGORIUS MAGNUS, *XI. Homiliarum in Evangelia, l.1, hom.1:* PL 76 1075-1081. Deb referirse a esta humilia.

**1<sup>a</sup> CONCLUSIO:** *Quodlibet peccatum tanto gravius est ex sua specie quanto perfectior est ex sua specie virtus cui opponitur.* Ita D. Thomas hic, ubi Caietanus<sup>147</sup>, Conradus<sup>148</sup>, et alii discipuli. Scotus, 2, d.21, q.2, a.2<sup>149</sup>; Durandus, ibi, q.3 ad 1 et 2, d.42, q.8, § *Item circa*<sup>150</sup>; Gabriel, 2, d.35, dub.3<sup>151</sup>; ubi Aegidius, q.2, a.2<sup>152</sup>. Et videtur idem sentire D. Antoninus, 1 p., tit.9, c.1, § 1<sup>153</sup>. Et colligitur ex iis qui existimant meliorem esse dilectionem amici quam inimici. Ita D. Thomas, 2.2., q.27, a.7<sup>154</sup>, et Dionysius, 3, d.30, q.1 ex Ricardo<sup>155</sup>, ubi D. Bonaventura, quaest. ult.<sup>156</sup> est fere eiusdem sententiac.

**PRODATUR 1<sup>a</sup>** ex Aristotele, 8 Ethicorum, c.10<sup>157</sup>, dicente **pessimum esse contrarium optimo, sive tyrannidem quae sumum malum est in regimine opponi monarchiae, quae optimum regimen est.**

**2<sup>a</sup> PROBAT** D. Thomas a priori, quia contraria sunt circa idem obiectum; ergo virtus et vitium quae opponuntur erunt circa idem obiectum. Rursus quanto nobilius est obiectum virtutis, tanto

<sup>147</sup> THOMAS A VIO, *Commentarii in Summam Sti. Thomae*, 1.2., q.73, a.4: Opera Omnia Sti. Thomae cum commentariis Thomae de Vio Caetani, ed. Leon. t.7, p.28.

<sup>148</sup> CONRADUS KORNILLIN, OP, *Expositio Commentaria... in Primum Secundae... S.Th. Ag.*, q.73, a.4; Venecia 1589, p.539a.

<sup>149</sup> JOANNIS DUNS SCOTUS, *Quaestiones in librum secundum Sententiarum*, d.21, q.2, a.2; ed. Vivès, Paris, 1.13 (1893), p.141.

<sup>150</sup> DURANDUS A STO. PORTILANO, *In Sententias Theologicas Petri Lombardi Commentariorum Libri quatuor*, 2, d.21, q.3 ad 1 y 2, d.42, q.8, § *Item circa*. Amberes 1566, fol. 166v, n.6; y f.203v, n.6.

<sup>151</sup> GABRIEL RUS, *Collectorum circa quatuor libros Sententiarum*, 2, d.35, q.10, dub.3; ed. Tubinga, 1.2 (1984), 619.

<sup>152</sup> AEGIDIUS COLUMNA ROMANUS, *In Secundum I. librum Sententiarum Quaestiones*, d.35, q.2, a.3; Venecia 1581, 1.2, p.527.

<sup>153</sup> ANTONINUS, *Summa*, 1 p., tit.9, c.1, § 1: Lyon 1529, f.98v-99.

<sup>154</sup> THOMAS AG., *Summa Theologiae*, 2.2., q.27, a.7; ed. Leon.8, 230.

<sup>155</sup> DIONYSIUS CARTUSIANUS, *In Sententiarum librum III, commentarius incompletissimi*, d.30, q.1: Venecia 1584, p.249s.

<sup>156</sup> S. BONAVENTURA, *Commentaria in 4 libros Sententiarum*, 3, d.10, q.ult., n.6. Quaracchi, t.3 (1885), p.649.

<sup>157</sup> ARISTOTELES, *Ethica ad Nicomachum*, 1.9, c.10: Basilea 1563, col.149a.

perfectior est virtus secundum suam speciem, quam ab obiecto sortitur; et insuper, quanto nobilius est obiectum tanto gravius est secundum suam speciem peccatum inordinate se habens circa illud, ut ostensum est in praecedenti articulo; ergo tanto gravius est virtus quanto perfectior est virtus cui opponitur. [f.200] Haec ratio videbitur forte deficere, quia dignitas virtutum praecipue sumitur ex obiecto formalis et motivo virtutis; al vero virtus contrarium quamvis versetur circa idem obiectum materiale non versatur circa idem obiectum formale; ergo non sumit ab eo turpitudinem. Exemplum sit virus iustitiae cuius dignitas non tam sumitur ex pecunia et eius utilitate quam ex honestate acquiritur, quae est obiectum formale iustitiae; at vero furum non versatur circa honestatem aequalitatis, sed circa pecuniam et eius utilitatem. RESPONDEO furum versari circa honestatem aequalitatis, ut circa obiectum quod excludit et a quo recedit, et cuius obligationem violat; et hinc oritur gravitas furti, sioque consonat cum dictis articulo praecedenti, conclusione 2. Imo hinc CONFIRMATUR ratio praecedens: 1<sup>o</sup>, quia ut malitia peccati ita gravitas illius in privatione consistit; et tanto peior est privatio quanto est melioris boni. CONFIRMATUR 2<sup>o</sup>, quia gravius peccatum strictius prohibetur et maiori diligentia vitandum est; et praedicti praecepti adimpletio ex ipso plenis habenda est quam impletio alterius minus strictae prohibitionis; sed impletio praecepti est actus virtutis; ergo perfectior virtus est quae pugnat cum graviori peccato. CONFIRMATUR 3<sup>o</sup>, quia virtus tanto magis necessaria est ad consequendum ultimum finem et ad servandam charitatem quanto perfectior est et magis affinis charitati; hinc autem sequitur strictius obligare praeceptum talis virtutis, ac proinde gravius esse peccatum contra illam. CONFIRMATUR 4<sup>o</sup>, quia si charitatis et prudentiae imperio eliciendi sint vel omittendi actus virtutum et concurrat virtus qua vitatur maius peccatum cum virtute qua vitatur levius peccatum, charitas et prudentia praecepit eam potius virtutem retineri [f.200v] qua vitatur gravius peccatum, ut ex communi sententia Doctorum dictum est in disputatione de conscientia, dub.15, supra, q.19, a.5<sup>158</sup>; ergo secundum rectam rationem preferenda est illa

---

<sup>158</sup> Non concreto estime commentatio.

virtus quae opponitur graviori peccato, ac proinde erit perfectionis CONFIRMATUR 5<sup>a</sup>, quia ad dignitatem virtutis et gravitatem peccati multo magis refert dignitas obiecti quam difficultas aut facilitas operis, nam a bonitate obiecti, ut a ratione formalis, praecipue sumitur bonitas accendentis ad obiectum et malitia recententis ab illo; sed a difficultate aut facilitate obiecti, non nisi ut a circumstantia; unde actus humilitatis licet difficiliores sint quam actus religionis nihilominus ut plurimum imperfectiores sunt. Sicque de aliis virtutibus.

Sed OBIECTES, quia contingit actum eiusdem perfectionis essentialis versari circa plura obiecta, ut charitatis actus circa Deum et proximum, et tamen strictius tenetur homo diligere Deum quam proximum, et patrem quam extrancum. RESPONDEO; demus aliquando hominem teneri diligere proximum charitate supernaturali, de quo non est modo disputandum. Hoc dato dicendum erit propterea hominem minus teneri diligere proximum quam Deum, quia proximus est obiectum materiale, Deus autem est obiectum formale; actus autem habet praecipiua perfectionem ex obiecto formalis, et ideo in ordine ad illum est maxima obligatio. Et inter obiecta materialia ad illud tenemur magis quod vicinus est obiecto formalis. Unde constat non solum in diversis, sed etiam in eodem actu virtutis maiorem obligationem oriri ex maiori perfectione obiecti.

Si autem PETAS ultimi gravitas peccati oppositi meliori virtuti sit major solum quoad privationem, an vero etiam quoad monstruositatem positivam; RESPONDEO esse maiorem quoad utrumque, nam mutuo coharent, et sicut actus est monstruosus quia est radix privationis, supra q.71, a.6, [f.201] dubio 1<sup>59</sup>, ita est magis monstruosus, quia peioris privationis radix est. CONFIRMATUR, quia positiva monstruositas est qua positive amplectimur obiectum malum, et quae positive opponitur virtuti; unde quando volitio amplectitur plura aut maiora mala aut magis voluntarie, erit magis monstruosa positive et magis contraria virtuti.

**2º CONCLUSIO:** *Ex duobus vitiis eidem virtuti repugnantibus illud gravius est quod illi virtuti magis repugnat.* Haec videtur esse mens Aristotelis, 1 Ethicorum, c.8<sup>160</sup>; et docet D. Augustinus, epist. 29 ad Hieronymum, col. penultima<sup>161</sup>; D. Thomas, 2.2., q.79, a.4<sup>162</sup>; ubi Caietanus<sup>163</sup>; D. Antoninus, 1 p., tit.9, c.1, § 1<sup>164</sup>; Scotus, 2, d.21, q.2, a.2<sup>165</sup>; Conradus, in hoc articulo<sup>166</sup>. Et aperte colligitur ex praecedenti conclusione. Et probatur exemplo: nam contra temperantiam sunt fornicatio, incestus et sodomia, quorum ultimum est gravissimum, et secundum gravius primo, ex Augustino, De adulterinis coniugiis<sup>167</sup>; et refertur 32, q.7<sup>168</sup>.

Circa hanc conclusionem DISPUTANT aliqui: quodnam vitium turpius sit ex duobus extremis oppositis eidem virtuti, hoc est, utrum recedere a virtute per excessum detestabilius sit quam per defectum.

Sed in hoc: 1º certum est nullam universalem regulam esse veram, ut colligi potest ex Aristotele, 2 Ethicorum, c.8 versus finem<sup>169</sup>, quia ponderandae sunt plurimae rationes que diversimode miscentur in diversis generibus vitiorum.

2º, caeteris paribus, illud extrellum erit gravius peccatum quod fuerit ex genere difficilior, secundum dicta in 2 et 3

<sup>160</sup> ARISTOTELES, *Ethica ad Nicomachum*, 1.2, c.8: Basilea 1563, cols.39s.

<sup>161</sup> AUGUSTINUS, (epist.29 ad Hieron.) *De sententia Iacobi liber*, seu Epistola 167. (alio 29): CSEL, 56, 2319; PL, 33, 729a.

<sup>162</sup> THOMAS AQ. *Summa Theologiae*, 2.2., q.79, a.4: ed. Leon.9, 172.

<sup>163</sup> THOMAS A VIO, *Commentarii in Summam Srl Thomae*, 2.2., q.79, a.4: Opera Omnia Sri. Thomas cum commentariis Thome de Vio Caleiani, ed. Leon. 9, 172a.

<sup>164</sup> ANTONINUS, *Summa*, 1 p., tit.9, c.1, § 1: Lyon 1529, 198v 1r.

<sup>165</sup> Véase nota 141.

<sup>166</sup> CONRADUS KRELLIN, OP, *Expositio commentatorum. In primum secundae...* q.73, a.4: Venecia 1589, p.538.

<sup>167</sup> En los dos libros *De adulterinis coniugiis* no hemos podido encontrar esta referencia de S. Agustín. Como bien observa Friedberg (véase la nota siguiente), se refiere al *De hunc coniugali*, dº 8: CSEL 41,198s; PL 40, 379.

<sup>168</sup> C.I.C. c.11, CXXXII, Q.7: ed. Friedberg, 1, 1143.

<sup>169</sup> ARISTOTELES, *Ethica ad Nicomachum*, 1.2, c.8: Basilea 1563, cols.39s.

argumento, et dicenda in eorum solutione. Et propter hanc rationem audacia seu intimiditas turpior esse videtur quam timiditas, quia maiorem difficultatem continet, et magis contrariam bono hominis existente ex utraque parte aequali periculo reipublicae. Quod si OBICIAS Aristotelem, 2 Ethicorum, c.8<sup>170</sup>, dicere audaciam minus [f.201v] opponi fortitudini quam ignaviam, quod probat quia audacia similior est fortitudini quam ignavia, et praeterea quia ad audaciam minus affecti sumus a natura quam ad ignaviam, RESPONDEO Aristotelem ibi non agere de oppositione in esse moris, sed in esse physico, quod inde constat quia paulo antea dixerat vitia extrema opponi magis inter se quam cum virtute; nos autem loquimur de oppositione in esse moris, scilicet de turpitudine comparatione honestatis.

3º, quia ad augendam malitiam confert magis turpitudo obiecti quam difficultas, ut diximus in ultima confirmatione 1º conclusionis, ideo ex obiecti turpitudine praecipue colligendum est quod *extremorum deterius sit atque ut ad aliqua vitia in specie descendamus: primo desperatio communiter videtur esse difficilior quam prae*sumptio*, quia tristior est homini et contra bonam existimationem propriam, et tamen desperatio gravius peccatum est quam prae*sumptio*, ex D. Thoma, 2.2., q.21, a.2<sup>171</sup>*, quia maior iniuria Dei est desperare Deum posse aut velle ferre auxilium, quam prae*sumere* quod Deus contra leges ordinarias dabit auxilium aut quod ipse propriis viribus obtinebit. Secundo, stupiditas seu insensibilitas difficilior est quam intemperantia, et tamen intemperantia turpior esse videtur. Vide D. Thomam, 2.2., q.142, a.2 et 4<sup>172</sup>. Tertio, prodigalitas difficilior est quam avaritia, et tamen minus mala est ex Aristotele, 4 Ethicorum, c.1<sup>173</sup>, et D. Thoma, 2.2., q.119<sup>174</sup>, quia magis accedit ad affectum benefaciendi et capiendo utilitatem ex pecuniis. Quarto, denique, superbia peccatum gravius est quam pusillanimitas, ut colligi potest ex D.

<sup>170</sup> Vd. ad nota anterior.

<sup>171</sup> THOMAS A.Q. Summa Theologiae, 2.2., q.21, a.2: ed. Leon.8, 137.

<sup>172</sup> THOMAS A.Q. Summa Theologiae, 2.2., q.142, a.2 y 4: ed. Leon. 10, 134 y 136.

<sup>173</sup> ARISTOTELES, Ethica ad Nicomachum, 1.4, c.1: Raules 1563, col.65.

<sup>174</sup> THOMAS A.Q. Summa Theologiae, 2.2., q.119, a.3: ed. Leon.9, 467.

Thoma, 2.2., q.162, a.6<sup>175</sup>, quia magis avertit a Deo, et magis improportionata est homini, et forte etiam quia difficilior est.

**3<sup>a</sup> CONCLUSIO:** *Aliquando peccatum quod opponitur minus perfectae virtuti gravius est secundum suam speciem quam quod opponitur perfectiori virtuti.* [f.202] Colligitur ex D. Thoma, multis in locis, in quibus ita docet; Cajetano, praesertim 2.2., q.142, a.3<sup>176</sup> et Conradus, in hoc a.4<sup>177</sup>. Et licet haec conclusio videatur primac contradicere, nihilominus ex illa et ex secunda conclusione inferatur. Contingit enim tam leviter laedi virtutem superiorum per aliquod peccatum oppositum ut propterea non tam grave peccatum sit ac si laedatur quantum laedi potest virtus inferior, v.gr., licet charitas sit maxima virtutum, et propterea odium Dei sit gravissimum peccatorum, quia charitati directe et maxime opponitur, nihilominus, odio proximi, quod eidem charitati repugnat non est maximum peccatum, imo illo graviora peccata sunt infidelitas et desperatio, quae opponuntur fidei et spei quae virtutes minus perfectae sunt charitate, I Cor. 13 [13]. Et huius ratio est, quia infidelitas et desperatio directam et maximam oppositionem habent cum fide et spe; at vero odium proximi non opponitur charitati nisi indirecte. Ita D. Thomas hic ad 3.

Deinde, quamvis probabilius sit spem esse praestantiorum fidei, quia quoad modum et affectum proximior est charitati, et ut habeatur actus efficax spei requiritur necessario propositum efficax saltem virtuale habendi pro aliquo tempore ante mortem actum et habitum charitatis de quo proprius locus est 2.2., q.17, a.7 et 8, nihilominus potest simul verum esse quod D. Thomas docet 2.2., q.20, a.3<sup>178</sup>, hacresim esse peccatum gravius desperatione, idque propterea quia desperatione non tam directe pugnat cum perfectissima ratione virtutis theologicae ut haeresis; nam haereticus vel

<sup>175</sup> THOMAS AQ. Summa Theologicae, 2.2., q.162, a.6: ed. Leon. II, 329.

<sup>176</sup> THOMAS A VIO, Commentarii in Summatem S. Thomae, 2.2., q.142, a.3: Opera Omnia Sti. Thomae cum commentariis Thome de Vio Calciani, ed. Leon. t.10, 136.

<sup>177</sup> CONTRARIUS KOFFELIN, OP, Expositio Commentariorum. In Primum Secundae. S.7b. Aq. q.73, a.4: Venetia 1589, p.539a.

<sup>178</sup> THOMAS AQ. Summa Theologicae, 2.2., q.17, a.7 y 8. y q.20, a.3: ed. Leon. II, 132a y 153b.

iudicat Deum esse mendacem, quod immediatissime est contra Deum, vel iudicat talem propositionem non esse revelatam a Deo, et Ecclesiam aut Pontificem Romanum non habere auctoritatem proponendi revelata, quod directe pugnat cum certis principiis fidei; at vero qui desperat directe et immediate iudicat se non esse usurum bene divinis auxiliis, et sua culpa amissorum esse beatitudinem, et propter hoc iudicium [f.202v] sine fundamento voluntas desperat. At vero sive iudicium intellectus sive delectio voluntatis tendunt ad rem quae potest esse vera sine iniuria Dei, et ideo non tam directe pugnant cum spe. Sed de hoc latius dicendum est suo loco. Insuper iustitia virtus perfectior est quam temperantia, et nihilominus sodomia, quae contra temperantiam est, longe gravius peccatum est quam adulterium quod non soluni iustitiam, sed etiam temperantiam violat, ut docet D. Augustinus relatus cap. *Adulterii malum*, 32, q.7<sup>179</sup>. Sic etiam fornicatio quae contra temperantiam est gravior est quam furtum, quod licet contra iustitiam sit laedit tamen in bonis extermis tantummodo, at vero fornicatio cedit in damnum prolis. Ita D. Thomas, 2.2., q.154, a.3<sup>180</sup>, et propterea furtum iustitiae virtutem laedit non adeo graviter ut temperantiam laedit fornicatio. Praeterea, omissione Sacri in die festo minus grave peccatum est homicidio, et tamen illud est contra obedientiam et religionem; nihilominus, quia ad audiendum Sacrum in die festo Ecclesia non admodum graviter obligavit, ideo non tam graviter laeditur virtus religionis et obedientiae per omissionem Sacri ut superet gravitatem homicidii. Sic denique, intemperantia gravius peccatum est quam timiditas. ex D. Thoma, 2.2., q.142, a.3c et ad 1<sup>181</sup>, quamvis fortitudo sit perfectior virtus quam temperantia. Ille autem ratio, ut existimo, non est quia intemperantia magis directe vel plus laedat virtutem temperantiae quam timiditas laedit fortitudinem, sed quia illae circumstantiae quae ex natura obieci timidei commituntur illam valde extenuant eius gravitatem; nam timiditatis motivum est conservatio propriae vitae, quae vehementius allicit et naturalius

<sup>179</sup> Véase nota 165.

<sup>180</sup> THOMAS AQ. *Summa Theologiae*, 2.2., q.154, a.3. ed. Leon.10, 223.

<sup>181</sup> THOMAS AQ. *Summa Theologiae*, 2.2., q.142, a.3c y ad 1: ed. Leon.10, 135s.

quam delectationes quae sunt molivum intemperantiae; et propere quia timis[<sup>f.203</sup>]ditas est minus voluntaria quam intemperantia, et insuper minus libera, ac denique difficiliter superatur, et licet harum circumstantiarum singulae non sufficerent ut levior esset timiditas, omnes tamen simul sumptae sufficere videntur. Vide quae dicenda sunt ad 2.

**PETIS** ergo: quomodo accipienda sit universaliter prima conclusio. **RESPONDEO:** ita ut non solum caeteris paribus gravius sit peccatum quod contra perfectionem virtutem committitur, sed etiam ut fere omnis virtus perfectior habeat aliquod vitium maxime oppositum sibi quod sit gravius quam vitium maxime oppositum inferiori virtuti.

**OBJICES** D. Thomam infra, q.84, a.4 ad 1 et 2.2., q.118, a.7 ad 1<sup>102</sup> dicentem non semper vicia praecipua opponi praecipuis virtutibus. Verum D. Thomas ibi, praecipua vicia dicit non quae graviora sunt, sed quae caput et radix sunt aliorum viciorum propter sui motivi amplitudinem et excellentiam; agit enim de viciis capitalibus, et contingit peccatum levius esse magis capitale scilicet universaliori radicem aliorum viciorum.

Ad argumenta initio proposita **RESPONDEO** ad primum: duplum citer virtus cohibet minora mala: 1º quidem, quia virtus ex sua specie ordinata est ad minora mala cohibenda et non ad maiora, sicut temperantia ordinatur ad cohibendam intemperantiam et non ad cohibendam infidelitatem vel odium Dei. Et huiusmodi virtus non est quae abundans dicitur a Christo Domino, Matheo 5 [20], sed illa quae propter sui obiecti formalis dignitatem universalior est et prohibet non solum maiora, sed etiam minora mala, sicut caritas prohibet odium non solum amici, sed etiam inimici; et prohibet non solum homicidium, sed etiam iram; et castitas vera non solum fornicationem, sed etiam petulantiam oculorum. At vero virtus illa phariseorum ficta et adumbrata et ex propria [<sup>f.203v</sup>] utilitate profecta aut ex naturali inclinatione vel ex inani gloria amicos et non inimicos diligebat, et peccata externa, sed

<sup>102</sup> THOMAS AQ. Summa Theologicae, 1.2., q.84 a.4 ad 1: ed. Leon. 7, 109b y 2.2., q.118, a.7 ad 1: ed. Leon. 9, 462b.

non interna vitabat. Hinc constat solutio confirmationum, nam si amici diligentur et non inimici apertum est amicos non amari ex charitate, quod ostendit Dominus illo argumento: *Nonne et ethnici hoc faciunt?* [Mt. 5,47]; ideoque mercedem omnem huic amori amicorum denegat. Quia vero inimici numquam ex corde diligentur nisi ex charitate propter Deum, ideo inimicorum amor, qui in Evangelio commendatur, includit dilectionem amicorum, ac proinde omnes illae laudes dilectionis inimicorum ita accipienda sunt ac si diceretur amor charitatis summus est et charitatis indicium est si ad inimicos etiam pertingat; at vero amor naturalis propriam utilitatem respiciens infinitus est; cuius indicium est si inimicos excludat.

Ad secundum cum confirmationibus, RESPONDET D. Thomas hic, maiori virtuti quae est circa difficultius bonum esse directe contrarium illud peccatum quod est circa difficultius malum; utrobique enim reperitur quaesdam eminentia qualiter vehementius et maiori appretiatione illud amatitur a quo non deterret difficultas. Sed DICES: magis opponitur illud vitium quod non solum auferit honestatem virtutis, sed etiam difficultatem illius, nam opponitur secundum utrumque. Et CONFIRMATUR, quia timiditas, licet non habeat difficultatem, magis directe videtur opponi fortitudini quam vitium intimiditatis quo deficitur a timore quando timendum est. RESPONDEO oppositionem timiditatis cum fortitudine, et cuiusque vitii non habentis difficultatem cum virtute superante difficultatem accedere magis ad oppositionem contradictionem, quia mutat non solum qualitatem boni in malum, sed etiam quantitatem magni in parvum. At vero oppositio vitii superantis difficultatem [f.204] cum virtute superante difficultatem est magis proprie contraria, quia manente quantitate mutat qualitatem. Sed advertendum est huiusmodi circumstantias difficultatis magni et parvi augere quantitatem rei cui iunguntur, cum tamen ipsae non afferant qualitatem scilicet bonitatem aut malitiam. Ideoque, sicut virtuti restituendi mille aureos magis opponitur peccatum retinendi mille aureos quam peccatum retinendi unum, idque propterea quia mille auget qualitatem in quam cadit, sed non afferit qualitatem, ideo etiam virtuti restituendi cum difficultate ut 8° magis opponitur peccatum retinendi cum difficultate ut 8 quam peccatum retinendi

sine difficultate. URGEbis praeterea, quia quando virtus est difficilis et peccatum illi oppositum est facile tunc habent non solum terminos oppositos, sed etiam modum tendendi oppositum, sicut fortitudo et timiditas non solum addu[sic] habent oppositos terminos, sed etiam oppositos modos tendendi; nam fortitudo insurgit et prosequitur arduum, sed timiditas fugit et deprimit. RESPONDEO: propter hanc rationem eiusmodi vitia secundum esse physicum magis opponuntur virtutibus; nihilominus quoad esse morale conformitatis cum ratione non magis opponuntur, quia non propter ea magis recedunt ab honestate quam si insurgendo et prosequendo recederent.

Ad tertium RESPONDEO illa auctoritate Divi Gregorii confirmari nostram solutionem. Sic enim ait: *Sicur gravioris culpe est inter bonos bonum non esse, ita immensis paeconis est bonum inter malos existisse<sup>163</sup>*. Ubi ut opponeret virtuti vitium magis contrarium non dixit malum esse inter malos, quod est facilius, sed malum esse inter bonos, quod amplius aliquid difficultatis continet. Ad primam confirmationem similiter RESPONDEO magis oppositam esse virtutem ante Evangelium et vitium post Evangelium, quam virtus et vitium [f.204v] ante Evangelium, aut virtus et vitium post Evangelium. Ad secundam confirmationem [RESPONDEO] illi circumstantiae matris non directe opponitur timiditas qua fugeret filiorum necem, sed qua filios ipsos traderet neci ut ipsa fugeret martyrium; sic enim maneret in vitio difficultas.

Ad quartum RESPONDEO minora et maiora vitia quandoque esse contra eandem honestatem obiecti; et tunc virtus quac prohibet minora cohibet etiam maiora. Ac proinde est perfectior extensive, ut recte D. Thomas, hic, corpore. Sicut sanitas quanto fuerit maior tanto leviores aegritudines pellit. Sicque virtus iustitiae perfectior est quac non solum mortale homicidium, sed etiam veniale voluntatem laedendi excludit (et nihil refert in praesenti utrum habitus virtutum habent extensionem; satis est hoc verum esse in actibus). At vero quandoque minora et maiora peccata non sunt contra eandem honestatem obiecti, et tunc ad

<sup>163</sup> Véase nota 142.

diversas virtutes pertinet illa cohibere, et tunc virtus quae excludit minora peccata non excludit maiora, ac proinde non continet illius perfectionem.

Ad quintum RESPONDEO in praesenti comparantur ea quae contrarie opponuntur, sicut peccatum opponitur virtuti; at vero carentia visionis divinae non opponitur contrarie, sed contradictorie divinae visioni; imo illud est summum excellentiae visionis beatae, ut nullum habeat directe contrarium. Ita respondent communiter Thomistae in praesenti articulo cum Caetano<sup>184</sup>, Ferrariensis, 3 *Contra Gentes*, c.26,<sup>185</sup>, Capreolus, 4, d.49, q.2, a.3<sup>186</sup>, ubi etiam Durandus, q.4, n.23<sup>187</sup>. Ad cuius maiorem explicationem adde quod si possibile esset beatis praeceptani esse visionem Dei, et tamen libere ab illis omitti, hoc esset gravius malum quam omissio charitatis praeceptae, sed non esset gravius quam odium Dei.

Sed contra hanc solutionem occurrit DIFFICULTAS, quia error circa Deum contrarium [f.205] est visioni beatificae, ut si quis in Deo existimet unicam esse personam vel unam personam esse inferiorem alia, vel Deum ignorare aliquid. Si RESPONDEAS: Iste error non est contrarius visioni, quia quicumque videt Deum non potest habere errorem et amittere visionem, contra hoc est, quia ad illam contrarietatem a qua provenit malitia nihil videtur interessere quod unum contrarium possit expelli ab alio, si aliud est fortissimum; nam malitia ex eo solum provenire videtur quod habent objecta contraria et non possint esse simul in eodem subiecto, etiam de potentia absoluta. RESPONDEO errorem non esse contrarium visioni ita directe et immediate sicut odium Dei contrarium

<sup>184</sup> THOMAS A VIO, *Commentarii in Summam S. Thomae*, 1.2, q.73, a.4. Opera Omnia S. Thomae cum commentariis Thome de Vio Caetani, ed. Leon. L7, 28.

<sup>185</sup> F. FERRARIENSIS, OP., *Commentaria in Libros questionum contra Gentiles*, 3, c.26: Roma 1900, p.151a.

<sup>186</sup> I. CAPREOLUS, OP., *Defensiones Theologicae D. Thomae Aquinatus*, 4, d.49, q.2, a.3, §1, ad 5. Turin 1903 (ed. Opertum, 1.4), p.162.

<sup>187</sup> DURANDUS A STO. PORTIANO, *In Sententias Theologicas Petri Lombardi Commentariorum libri quartus*, 4, d.49, q.4, n.23: Amstelae 1566, fol. 417vb.

cst amori Dei super omnia. Quod diversimode ostendo in duplice errorum genere: primus modus errandi circa Deum et universalior provenit ex imperio voluntatis quando propter rationes quibus posset intellectus dissentire nihilominus inclinatur a voluntate ut assensum praebeat falso; et tunc constat primariam malitiam et oppositionem contra veritatem Dei esse in voluntate et non in actu intellectus, ac proinde non est directe opposita visioni, quae est actus intellectus non pendens ab imperio voluntatis. Cui doctrinac velde corporalit quae docet D. Thomas et Cajetanus, 2.2., q.34, a.2 ad 2<sup>108</sup>. Et inde fit hunc modum erroris directe opponi fidei quae requirit pias affectiones ex parte voluntatis. Secundus modus errandi est mere ex parte intellectus nullo intercedente actu voluntatis, quando scilicet supposita dispositione imaginativa et ignorantia hominis impossibile est non videri illi aliqua principia vera et aliquam consequentiam bonam, quamvis longe absint a veritate. Et hic error propterea non est tam directe contrarius visioni sicut odium amoris, quia intentio naturalis essentialiter inclusa in quolibet actu intellectus est invenire veritatem rei de qua iudicat ei coniungit cum illa, et nec ut obiectum formale, nec ut obiectum materiale [f.205v] directe aut indirecte intendit recedere ab illa; secus autem voluntas respectu bonitatis.

Sed DICES: etiam voluntas non potest odisse Deum nisi propter aliquod bonum amatum. RESPONDEO distinguendo: nam qui odio prosequitur Deum vult sibi aliquod bonum, quod pendet ex eo quod malum insit Deo et propterea vult malum Deo et non vult coniungi bonitati Dei, sed ab illa recedit: al vero qui independenter ab omni actu libero iudicat de Deo per vim naturalem intellectus, ille per talern actum non quaerit verum aliud, nisi verum quod est in Deo, et illi vult per cognitionem coniungi. Facit etiam ad hanc et magis directam ei propriam oppositionem quod amor in hac vita circa Deum in se ipso versatur, non minus quam in patria, et propterea odium servata proportione poterit attingere Deum in se; al vero cognitio visionis magis immediate est circa Deum in se quam cognitio fidei vel scientiae acquisitae vel

<sup>108</sup> THOMAS AD. Summa Theologica, 2.2., q.34, a.2 ad 2; ed. Leon. 8, 275. THOMAS A VIO, Commentarii in Summam Sa. Thomae, ibid. 275a.

infusae, quae Deum representat speciebus acceptis a creaturis vel representantibus creaturas. Unde hic secundus modus erroris videtur directe opponi theologiae naturali aut scientiae infusae pro gradu et materia cuiusque propositionis. Quod si per impossibile daretur aliquis error qui circa Deum in se ipso evidenter et intuitively apprehensum iudicaret falsum, quamvis determinaretur ab aliqua ratione apparenti talis error esset forte maius malum odio Dei; maius, inquam, in ratione mali, non in ratione culpe, quia haec pendet a voluntate.

Ad sextum RESPONDEO negando consequentiam. Nam omissio actus qui non est praecepsus, sed solum consilii, non est peccatum; nos autem sive omissiones vel commissiones oppositas virtutibus non comparamus nisi peccata sint: vel dic non comparari nisi ens actus oppositos virtutibus qui adjunctam habent [f.206] oppositionem privativam scilicet actus debiti, sive actus consilii non est actus debitus, ac proinde omissio sive commissio illi repugnans non habet rationem privationis, et propterea non comparatur cum aliis peccatis.

Ad septimum RESPONDEO: in praesenti comparatione qualitates naturales convenient et differunt a peccatis. Convenient in hoc quod qualitas naturalis comparatione subiecti cui nocet magis nociva et mala est quae meliori qualitati repugnat, et magis necessariae subiecto. Et hoc modo igni erit magis malum frigus quam humiditas, sed differunt quia qualitates naturales licet uni rei malae sint alteri sunt bona, et propterea secundum suam entitatem absolutam bona sunt et perfectae, et non accipiunt plene malitiam ex oppositione cum alia qualitate; al vero peccata ita sunt mala ut nulli rei sint absolute bona idque propterea quia contra virtutem sunt ac proinde sine ulla limitatione tanto sunt detestabiliora peccata quanto cum perfectioni virtute et magis pugnant.

### Articulus quintus

#### Utrum peccata carnalia sint maioris culpae quam spiritualia

Quae sint carnalia et quae spiritualia peccata dictum est in q.72, a.2<sup>187</sup>. Deinde constat aliquod carnale gravius esse aliquo spirituali peccato, sicut bestialitas gravior est furto. Sed videndum est quid sit ex genere.

**1<sup>a</sup> CONCLUSIO:** *Caeteris paribus quod est praecise ex ratione spiritualis et carnalis peccati, gravius est spirituale.* Ita D. Gregorius, 31 Moralium, c.31 et l.33, c.11<sup>188</sup>. PROBAT D. Thomas, 1<sup>a</sup>, quia spiritualia peccata pertinent ad spiritum cuius est converti ad Deum et ab eo averti, et propterea plus habent aversionis quam carnalia peccata; quae consu[ f.206v]mantur in delectatione carnali appetitus, et non in ratione.

Sed OBICES: etiam reperitur in ratione peccatum carnale et derivatur ab eo ad appetitum; ergo plus malitia habet ex hac parte. RESPONDEBO negando consequentiam, quia ad spiritum praecipue et primario pertinet gubernare se ipsum et suas actiones dirigere ad Deum et proximum; at vero gubernatio appetitus sensitivi pertinet quasi secundario in quantum ratio coniuncta est cum appetitu sensitivo. Unde magis deest suo muneri quando circa spiritualia quam cum circa carnalia deficit. Et haec sit 2<sup>a</sup> RATIO pro conclusione. 3<sup>a</sup> PROBATUR, quia obiecta honesta et virtutes quibus opponuntur spiritualia peccata altiora sunt, ut constat in fide, spe, charitate, religione, iustitia et fortitudine. CONFIRMATUR, quia in Deum et proximum peccatis spiritualibus peccatur; at vero peccatis carnalibus tantummodo in corpus proprium quod minus diligendum est quam Deus et proximus. 4<sup>a</sup>, quia vehementia motivi extenuat gravitatem nostri peccati, ut dicetur in articulo sequenti; at vero vehementiora motiva sunt delectationes carnis. Unde etiam CONFIRMATUR, quia quanto quis vincitur a fortiori tentatione tanto levius est peccatum; sed vehementiores sunt

<sup>187</sup> Véase ArchTeolGran 56 (1993) 214as.

<sup>188</sup> GREGORIUS MAGNUS, Moralium libri sue Expositio in librum B. Job, l.31, c.45 y l.33, c.12; OCL 142D 1610; PL 26 620 y CCL 143B 1695, PL 26 686.

temptationes carnis, quod late persequitur Aegidius, 2, d.21, q.1, a.3<sup>191</sup>.

**2<sup>a</sup> CONCLUSIO:** *Peccata carnalia aliquammodo graviora sunt peccatis spiritualibus.*

PROBATUR 1<sup>a</sup>, quia tenacius haerent animo, quam ob causam D. Thomas, hic ad 2, ex Augustino, in Leviticum, ait Diabolum maxime gaudere peccato luxuria et idololatriae. Hujus autem ratio est, quia insatiabilis est [f.207] appetitus delectabilium, ex Aristotele, 3 Ethicorum, c.12<sup>192</sup>. Unde D. Gregorius, 24 Moralium, c.6<sup>193</sup> illa verba Joclis 1, [17]: *Computuerunt iumenta in stercore suo, explicat carnales in foetore luxuriae vitam finivisse.* 2<sup>a</sup> PROBATUR, quia ex Aristotele, 7 Ethicorum, c.6<sup>194</sup>, turpius esse incontinentem concupiscentiae quam incontinentem irae, quia concupiscentia minus participat de ratione quam ira; unde per peccata carnalia homo redditur brutalis. Unde fit ut maioris dedecoris eiusmodi peccata, ut docet D. Gregorius, 31 Moralium, c.21<sup>195</sup>; D. Thomas hic ad 3. Et colligitur ex pluribus Incis Sacrae Scripturae, ut Tobiae, 6, [17]: *Et suae libidini ita vacent sicut equus et mulus quibus non est intellectus; et Ieremiac 5, [8]: Unusquisque ad uxorem proximi sui habiebat; et Ezechielis 21 et Psalmi 48, [13].* Et in idem fere redit quod Aristoteles ait, 3 Ethicorum, c. ultimo<sup>196</sup> intemperantiam pertinere ad puerilia peccata, quia scilicet nulla aetas hominum minus ratione utitur aut concupiscentia trahitur magis quam pueritia, ut late confirmat D. Thomas, 2.2., q.142, a.2<sup>197</sup>.

<sup>191</sup> ABUNDUS COLUMNA ROMANUS, *In Secundum Librum Sententiarum Questiones*, d.21, q.1, a.3; Venetia 1581, 12, p.178.

<sup>192</sup> ARISTOTELES, *Ethica ad Nicomachum*, 1.3, c.12; Basilea 1563, col.61.

<sup>193</sup> GREGORIUS MAGNUS, *Moralium libri sive Expositio in librum B. Job*, l.24, c.8; CCL 143B 1198; PL 76 294.

<sup>194</sup> ARISTOTELES, *Ethica ad Nicomachum*, 1.7, c.6; Basilea 1563, cols.127s.

<sup>195</sup> GREGORIUS MAGNUS, *Moralium libri sive Expositio in librum B. Job*, l.33, c.12; CCL 143B 1695; PL 76 688.

<sup>196</sup> ARISTOTELES, *Ethica ad Nicomachum*, 1.3, c.12; Basilea 1563, col.61.

<sup>197</sup> THOMAS AQ. *Sixma Theologica*, 2.2., q.142, a.2; ed. Leon.10, 134.

De gravitate peccatorum carnalium, vide Caput *Adulterii* et quatuor sequentia 32 Q.3<sup>198</sup>; D. Antoninum late, 2 p., tit.5, c.4, § 1 et 2 et 3<sup>199</sup>; Chrysostomum, toto sermone 4 in c.1 Ad Romanos<sup>200</sup>; Casianum, libro 5 et 6<sup>201</sup>.

### Articulus sextus

#### Utrum gravitas peccatorum attendatur secundum causam peccati

RESPONDET D. Thomas tribus conclusionibus et eisdem fere D. Antoninus, 1 p., tit. 9, c.1, § 1, col.2<sup>202</sup>.

1<sup>a</sup> CONCLUSIO: *Causa intrinseca et quasi formalis* [f.207v] *peccati est volitio ipsa, quae respectu actus externi est ut forma.* Et de hac non est dubium quin augeat gravitatem peccati intensio volitionis.

Quaerunt juniores utrum intensio hacc in confessione explicanda sit; et locum non haberet quaestio apud eos qui negant explicandas esse circumstantias non mutantates speciem. Verum quia existimo explicandas esse quae notabiliter aggravant intra eandem speciem, respondeo explicandam esse in confessione eam solum intensionem actus quae fuerit extraordinariae vehementiae, ut bene Petrus de Soto, lect.9 *De confessione*<sup>203</sup>; Dominicus Soto, 4, d.18, q.2, a.8, col.8, in 6 argumento<sup>204</sup>; et consonat

<sup>198</sup> C.I.C., c.1-5, CXXXII, Q.7: ed. Friedberg 1, 1143s.

<sup>199</sup> ANTONINUS, *Summa*, 2 p., tit.5, c.4, § 1,2,3: Lyon, (1.2), 1529, f.130v.

<sup>200</sup> IOANNES CHRYSOSTOMUS, *In epistolas ad Romanos commentarius*, in cap. 1, Sermon 4: PG 66 415-422.

<sup>201</sup> JOANNES CASSIANUS, *De coenobiorum institutis libri XII*, 1.5 y 6: PL 49 201-292.

<sup>202</sup> ANTONINUS, *Summa*, 1 p., tit.9, c.1, § 1, col.2: Lyon 1529, f.98v b.

<sup>203</sup> P. DE SOTO, OP, *De institutione sacerdotum, De confessione*, lect.9 de integritate: Amheres 1566, p.187.

<sup>204</sup> D. SOTO, OP, *Commentariorum... in Quartum Sententiarum*, tomus primus, d.18, q.2, a.4: Salamanca, 1557, p.821b.

Medina, hic<sup>203</sup>. Idemque dictum sit de aliis circumstantiis in sequenti articulo. At vero quae vehementia et intensio actus solet esse communiter in tali specie peccati ut homicidio et fornicatione, satis colligitur ex ipsa specie peccati et ex aliis circumstantiis necessario explicandis in confessione, et propriea non indiget peculiari explicatione. Similiter explicare oportet in confessione durationem volitionis quando fuerit notabiliter diuturnior quam esse solent volitiones illius generis, ut ait Soio in 4, citato<sup>204</sup>. Quomodo autem non sequatur infinitam esse malitiam in qualibet duratione actus mali, non est huius loci disputare, quia difficultas eadem est in merito actus durantis aliquo tempore. De qua agendum est ubi de merito in materia de gratia vel caritate.

**2º CONCLUSIO:** *Augent gravitatem peccati cause extrinseciae quae per se pertinent ad voluntatem. Hujusmodi est cognitio quae si major sit auget voluntarium. Et eiusmodi est etiam finis; constat enim deteriorem esse actum qui respicit deteriorem finem.*

Circa quod disputari posset: 1º utrum electio boni ob malum finem sit peior quam intentio mali; 2º utrum electio mali ob bonum finem mala sit; 3º utrum quantitas malitia electionis [f.208] sequatur quantitatem malitiae in intentione. De quibus dictum est ex professo, supra, q.18, a.4, dub.3, 5, 6, 7, 8 et 9<sup>205</sup>.

**3º CONCLUSIO:** *Aliae causae sunt quae inclinant voluntatem ad peccandum praeter naturam et ordinem voluntatis, quia scilicet minuunt cognitionem aut libertatem, sicut ignorantia, passio, violentia aut metus. Et haec minuunt gravitatem peccati, ut supponit D. Augustinus, 14 De civitate, c.12<sup>206</sup>, nisi eiusmodi causae procuratae sint; tunc enim potius augent, ut ex professo dicetur q.76 et 77.*

<sup>203</sup> B. de MEDINA, OP, *Expositio in primam secundae Angelici Doctoris D. Thomas Aquinatis*, q.73, a.6: Venetia 1602, p.381a-b.

<sup>204</sup> Véase la nota 198.

<sup>205</sup> Comentario que no conocemos.

<sup>206</sup> AUGUSTINUS, *De Civitate Dei libri XXXII*, 14, c.12; OCL 48, 433s; PL 41, 420.

### Articulus septimus

#### Utrum circumstantia aggravet peccatum

Affirmativam conclusionem docent non solum D. Thomas, in praesenti, et latius q.2 De malo, a.7<sup>209</sup>, sed etiam D. Augustinus, 14 De civitate, c.12<sup>210</sup>, dum ex pluribus circumstantiis exagerat peccatum Adami. Et idem D. Augustinus, De poenitentia, relatus a Magistro, 4, d.16<sup>211</sup>, ubi hoc docent communiter Doctores, et 2, d.21, ubi Ricardus, a.3, q.2 et d.22, a.1, q.3<sup>212</sup>, ubi D. Bonaventura, a.1, q.2<sup>213</sup>, Alexander, 2 p., q.104, membr.3, et q.105, a.2<sup>214</sup>, D. Antoninus, 1 p., tit.9, c.1, § 1, col.2<sup>215</sup>, Durandus, 2, d.21, q.3<sup>216</sup>, ubi Aegidius, q.2, a.2<sup>217</sup>. Et traditur lege *Aut facia ff. de poenis*<sup>218</sup>. Et saepe in Sacra Scriptura exagerantur peccata ex circumstantiis, ut a Nathan, propheta, peccatum Davidis [2 Sam 12], et peccatum Saulis a Samuele [1 Sam 28, 15-19], et peccatum filiorum Israel a reliquis omnibus prophetis veluti ex circumstantia accepti beneficii, a turpitudine idololatriae vel a dignitate loci in quo posita sunt idola, a crudelitate et turpitudine sacrificiorum.

<sup>209</sup> THOMAS AQ., *Quaestiones disputatae de malo*, q.2, a.7: ed. Leon. 23, 50.

<sup>210</sup> Véase nota 204.

<sup>211</sup> PETRUS LOMBARDUS, *Libri IV Sententiariarum*, 4, d.16, c.2: ed. Quaracchi 1916, t.2, p.840. AUGUSTINUS, *De vera et falso poenitentia*, c.14, n.29: PL 40, 1124.

<sup>212</sup> RICARDUS DE MEDIANILLA, *Super quatuor libros Sententiariarum*, 1.2, d.21, a.3, q.2: Brescia 1591, t.2, p.267.

<sup>213</sup> BONAVENTURA, *In 4 libros Sententiariarum*, 2, d.22, a.1, q.3: Quaracchi 1887, t.2, p.520.

<sup>214</sup> ALEXANDER DE HALES, *Summa theologica*, 2 p., q.104, membr.3: Lyon 1516, fol 214a; IDEM, *Ibid.*, q.105, membr.3, a.2: ib., f.215b.

<sup>215</sup> ANTONINUS, *Summa*, I p., tit.9, c.1, § 1, col.2: Lyon 1529, t.1, f.98v b.

<sup>216</sup> DURANDUS ASTO. PORTIANO, *In Sentencias Theologicas Petri Lombardi Commentariorum libri quatuor*, 2, d.21, q.3, n.4: Ambetus 1566, (v).166.

<sup>217</sup> AEGIDIUS COLUMNA ROMANUS, *In Secundum Librum Sententiarum Quaestiones*, d.21, q.2, a.2: Venecia 1581, t.2, p.191.

<sup>218</sup> *Inst. 48, 10, 16*: Ed. Krueger (Berlin 1954) p.866b.

Ratione PROBAT D. Thomas, quia unumquodque potest augeri ex quo causalitur; sed peccatum causalitur ex circumstantia, nam ideo aliquis peccat quia in opere [f. 208v] rando non observat debitas circumstantias; ergo. Ex hac ratione D. Thomae colligitur omne peccatum contingere ex defectu circumstantiac. Oppositum tamen videtur sentire Alexander, 2 p., q.104, membr.3, et q.105, a.2<sup>218</sup> dum ait esse aliqua peccata quibus tota malitia conveniat ex genere et nihil malitiac ex circumstantia. Nihilominus conciliantur et explicatur veritas distinguendo duplarem acceptiōnem circumstantiac: prima, latissima est ut comprehendit quidquid advenit supra rationem communem actus moralis, et propterea est quasi accidens illius communis rationis; sieque talis finis in particulari ei tale obiectum materiale et reliqua omnia quae constituunt actum malum sunt circumstantiae, et in hoc sensu usurpatur in praesenti a D. Thoma circumstantiae nomen. Alio modo accipitur strictius circumstantia, ut advenit supra completam rationem specificam peccati, sieque recte ait Alexander esse aliquod peccatum quod tantum habeat malitiam ex genere et non ex circumstantia. Excipiendae tamen sunt illae circumstantiae sine quibus nullus actus moralis esse potest ut aliqua intentio actus et cognitio et libertas quae in quantum possunt esse maiores et minores manente specie peccati merito dicuntur circumstantiae.

Notat autem D. Thomas circumstantiam tripliciter augere malitiam: 1º quidem, transferendo in aliud genus peccati, sicut circumstantia alienae uxoris transfert fornicationem ad genus iniustitiae quod est adulterium. Quod si OBIRIAS: adulterium est species luxuria, ex D. Thoma, 2.2., q.154, a.1 ad 2<sup>219</sup>; ergo adulterium non transfertur ad aliud genus, RESPONDET Medina hic<sup>220</sup> luxuriam posse sumi ita universaliter ut comprehendat omnem turpem copulam; sieque eius species erit adulterium; et

<sup>218</sup> ALEXANDER DE HALES, *Summa Theologica*, 2 p., q.104, membr.3: Lyon 1516, fol.214a; IDEM, *Ibid.* q.105, membr.3, a.2: ib., f.215b.

<sup>219</sup> THOMAS AQ. *Summa Theologiae*, 2.2., q.154, a.1 ad 2; ed. Leon 10, 214.

<sup>220</sup> B. DE MEDINA, OP, *Expositio in primam secundae Angelici Doctoris D. Thomae Aquinatis*, q.73, a.7: Venecia 1601, p.302 [en la ed. 384].

potest sumi specialiter pro fornicatione simplici, soluti scilicet cum soluta, et ab hoc genere in aliud, scilicet iniustitiae, transfertur adulterium ex illa circumstantia alienae uxoris.

Sed aliquid amplius D. Thomas voluit, scilicet eam differentiam quae additur luxuriae [f.209] eo quod sit cum aliena uxore non esse limitantem intra idem genus vitii sed extrahentem ad aliam rationem, sicut rationale extrahit animal ad altiorum gradum; et sicut propter rationale constituitur homo sub genere intellectivi et spiritualis et liberi, quod commune est hominibus et angelis non vero aliis animalibus, ita ratione illius differentiae adulterium constituitur sub genere iniustitiae, quod genus non convenit fornicationi simplici. Insuper non est multum curandum utrum istae sint metaphysice loquendo differentiae per se contrahentes; satis est dici moraliter differentias, quia supponunt aliquam rationem communem cui aliquid addunt quod est magna considerationis in re morali, quamvis plerumque tales differentiae sint solum extensiones materiales actuum manente eodem obiecto formali, ut alibi dictum est. Sed DICES: huiusmodi circumstantiae mutant speciem peccati, supra q.72, a.9, et q.18, a.10 et 11<sup>222</sup>; ergo non sunt differentiae alterius speciei. RESPONDEO negando consequentiam, nam ut ibidem dictum est, in unico actu nunquam est nisi unica species physica, licet sint plures species morales ex circumstantiis, quae omnes accipi possunt quasi differentiac constituentes aliud genus peccati quando circumstantia malitia intelligi non potest nisi praesupposita malitia quam habet actus ex genere, ut in adulterio. Tunc enim moraliter coalescunt in unam monstruositatem ex duabus partialibus resultantem.

2º modo circumstantia aliqua auget malitiam, quia intra idem genus peccati illam multiplicat, ut si prodigus tribuat cui non debet ubi non debet, et quando non debet multiplicius peccat quam si tribuat solum quando non debet.

<sup>222</sup> Véase ArchTeolGran 56 (1993) 286-289. El comentario a la q.18, como hemos repetido, no ha llegado a nosotros.

3º modo circumstantia quae nihil dicit bonitatis vel malitiae addita auget, ut si furto addas quantitatem centum vel mille. Vide plura de circumstantiis, supra, q.72, a.9, et q.18, a.10 et 11<sup>23</sup>, et in sequentibus articulis huius quaestio[n]is.

[f.209v]

### Articulus octavus

#### Utrum gravitas peccati augeatur secundum maius nōcumentum

CONCLUSIONEM affirmativam docet D. Augustinus, 3 De libero arbitrio, c.14<sup>24</sup>, et De poenitentia relatus a Magistro, 4, d.16<sup>25</sup>, ubi communiter Doctores.

Et manifeste continetur in Sacra Scriptura quoties peccati gravitas expenditur ex damno dato. Unde 1 Regum 2, [17]: *Erat igitur peccatum puerorum grande nimis, quia avertebant homines a sacrificio.* Et Exodo 32, [21] propter conflatum vitulum Moyses ita loquitur cum Aaron: *Quid tibi fecit hic populus ut induceres super eum peccatum maximum?* Vide 2 Regum 12, [14] et quae de scandalo docuit Dominus Matthaeo 18, [6] et Luca 17, [1].

Idem colligitur ex praecedentibus articulis, nam damnum illatum potest esse obiectum et circumstantia actus, et ratione nōcumenti potest peccatum opponi alicui virtuti cui non opponatur, et potest violare praeceptum quod secluso nōcumento non violaretur.

Difficultas autem est quod nōcumentum et quomodo augeat malitiam, an praevisum et volitum, et utrum quod est volitum directe aut indirecte. D. Thomas, hic, et D. Antoninus, 1 p., tit.9, c.1 § 1 fine<sup>26</sup> respondet aliquibus conclusionibus, quas varie

<sup>23</sup> Véase la nota anterior.

<sup>24</sup> AUGUSTINUS, *De libero arbitrio libertatis tres*, I, 3, c.14; CCL 29 299; PL 32 1291.

<sup>25</sup> Véase nota 205.

<sup>26</sup> ANTONINUS, *Summa*, 1 p., tit.9, c.1, § 1 · Lyon 1529, f.99b.

explicant Caetanus<sup>27</sup>, et alii Thomistae; et adhuc difficiles remanent.

### Dubitatur 1<sup>o</sup>

#### De nocumento praeviso

**1<sup>o</sup> CONCLUSIO:** *Nocumentum praevisum et intentum auget directe et indirecte quantitatem peccati, ut quando aliquid operatur animo nocendi alterius ut voluntarius homicida vel fur. PROBATUR, quia nocumentum tale est per se obiectum peccati; ergo directe auget eius gravitatem ex dictis e.3.*

[f.210] **2<sup>o</sup> CONCLUSIO:** *Quando nocumentum est praevisum, sed non est intentum, tunc auget indirecte quantitatem peccati, ut quando aliquis capitiat oportunitatem fornicandi atque ut inveniat viae compendium vel lanibula et cuniculos conculcat segetes, sed non ex animo nocendi. PROBATUR, quia ex voluntate nimis inclinata ad fornicationem procedit non se cohibere ab eo damno quod aliquis non faceret nisi requisitum esset ad fornicationem.*

Utramque conclusionem docet D. Thomas et D. Antoninus, nuper citati.

Sed contra 2<sup>o</sup> conclusionem ARGUITUR 1<sup>o</sup>: videtur enim D. Thomas dicere nocumentum quod non est volitum, si praevisum sit augere posse malitiam peccati; hoc autem est falsum, nihil enim imputatur alicui nisi volitum sit. Et CONFIRMATUR, quia propterca ignorantia omnino involuntaria excusat a culpa, quia tollit omnino voluntarium. RESPONDEO: D. Thomas appellat *non intentum* illud nocumentum quod non est primario et directe volitum, sed indirecte, quod indicat tum cognitio nocumenti, quam exigit, quae nihil referret nisi deberet esse volitum nocumentum; tum etiam exemplum quod subdit: nam qui transiens per agnum

<sup>27</sup> THOMAS A VIO, *Commentarii in Summam S. Thomae*, I.2., q.73, a.8: Opera Omnia S. Thomae cum commentariis Thomae de Vio Caetani, ed. Leon. I.7, p.

conculet segetes, vere vult sed indirecte damnum quod scit sequi ex conculcatione. Nam ut saepe dictum est nullus potest voluntate absoluta et efficaci eligere aliquid quin simul, saltem indirecte et virtualiter, velit quod est necessarium conjunctum cum illo actu in re posito. Et hac ratione merito David 1 Re 26 [19] de suis detractoribus apud Saul conqueritur his verbis: *Quia elecerunt me hodie ut non habitem in haereditate Domini dicentes: Vade, servi diis alienis.* Quod non alia ratione dictum est a detractoribus nisi quatenus eorum causa compulsus fuit David confugere ad idololatras] inter quos solent vigere pericula idololatriæ.

[f.210v] Hinc tamen oritur 2<sup>o</sup> argumentum, contendens duas praecedentes conclusiones pugnare secum: dum prima dicit nocumentum homicidii aggravare directe illius malitiam; verumtamen nocumentum quod sequitur ex conculcatione segetum indirecte aggravare huius peccati malitiam. Contra quod sic ARGUITUR: illud nocumentum aggravat directe quod est directe volitum; sed utrumque vel neutrū est directe volitum; ergo utrumque nocumentum vel neutrū aggravat directe. Minor probatur, quia vel velle directe nocumentum est velle nocumentum quia nocumentum est, et non sub alia ratione boni, sive in homicidio non est directe intentum nocumentum, quia non amatur malum proximi nisi sub ratione vindictae, vel quia impedit aliquid bonum proprium; et similiter in furto non desideratur damnum proximi propter se, sed ut res furto sublata utilis sit furanti. Si autem ut sit directe intentum nocumentum satis est esse volitum propter aliquam rationem boni, similiter omne nocumentum erit directe intentum quoties volitum fuerit, ac profinde quocumque nocumentum si malitiam auget augebit directe. CONFIRMATUR, quia ille qui conculet segetes vult damnum secutum propter bonum compendiosi itineris, sicut qui furatur vult damnum proximi propter propriam utilitatem. RESPONDEO, directe intentum non est idem quod per se et ratione sui intentum, quia quamvis omne intentum ratione sui sit directe intentum, verum non omne directe intentum est intentum ratione sui; nam finis per se amatus et omnia quac sunt necessaria ad finem dicuntur directe intenta; illa

vero quae nec sunt finis<sup>228</sup> nec sunt necessaria ad finem, nihilominus per accidens consequuntur ex medijs vel ex fine, dicuntur indirekte volita, desumpta metaphora a motu recto et obliquo, nam voluntas ad finem per media tendit quasi via recta, et quasi ex obliquo deflectit ad ea volenda quae medijs vel fini commessa sunt vel ex illis consequuntur. Vide [f.211] dubium 2, conclusione 4, obiectione 2. Sic ergo, quia damnum datum in homicidio necessarium est ad finem vindictae ut medium, et quia ablato rei alienae est medium necessarium ad fruendum eius utilitate ideo hanc damnam sunt intenta directe. Quia vero ille qui quaerit latibula vel compendia viarum ad fornicandum non eligit ut medium damnum quod infertur messibus, sed solum eligit hoc medium hac via iter agere unde provenit illarum damnum, ideo hoc damnum non intenditur nisi indirekte.

Tertium argumentum contendit non semper esse volitum documentum quod necessario sequitur ex nostris actibus, quamvis praevisum sit; et multo minus si praevisus non fuerit, atque adeo non augere gravitatem peccati. Et argumentum est huiusmodi: si aliqua ratione volitum esset illud documentum, maxime quia est necessario coniunctum cum actione quam efficaciter volumus: sed contingit ex duabus rebus necessario coniunctis et cognitis, velle unam et nullo modo velle aliam; ergo poterit esse involuntarium documentum sive praevisum sive non praevisum, quamvis necessario sequatur ex actione nostra. Antecedens probatur, quia Deus concurrevit ad actionem particularem cum qua necessario est coniuncta malitia peccati, quam tamen Deus non vult. Et bellum iustum infertur aliquando civilibus in quibus necessarium est aliquos pueros interire, quorum mortem non necessario vult imperator, quamvis sit necessario coniuncta cum bello. Et huiusmodi exemplia adduci possent quam plurima.

Propter haec iuniores aliqui existimant documentum quod necessario sequitur ex actione (sive praevisum sit sive non praevisum) quandoque non esse volitum reali tendentia volitionis in illud, sed tamen esse volitum moraliter denominatione mere

<sup>228</sup> Repetito: illa vera quae non sunt finis.

extrinseca actuum, quia scilicet tenebaris vitare nocumentum et non vitasti.

[f.211v] Haec doctrina, si vera esset, daretur aliquod peccatum internum sine reali et physica monstruositate, illud scilicet quod non habet aliam malitiam nisi nocumenti secuti praeter intentiōmem ex actione alias licita. Quare, contra hanc sententiam sunt omnia argumenta quibus supra, q.71, a.6, dub.1, sect.2. et q.18, a.5, dub.2 et 3, et q. 19, a.1<sup>229</sup>, probatum est in omni peccato esse aliquam realem monstruositatem. Ad argumentum vero RESPONDEO distinguendo maiorem, nam quaedam sunt necessario coniuncta quoad entitatem, et nullam connexionem habent quoad appretiationem, et sunt illa quae non tenemur vitare in nostris actibus, in quibus argumentum concludit; alia vero ita sunt coniuncta quoad entitatem, ut etiam sint necessario coniuncta quoad appretiationem, et haec sunt quae tenemur vitare in nostris actibus: et in his verum est illud universale principium, qui vult efficaciter aliquam actionem vult quod ex illa necessario sequitur.

DICES: haec obligatio, quamvis sit sufficiens ratio ut si moraliter volita transgressio illius, verumtamen nihil videtur referre ut nocumentum sit volitum physica et reali tendentia. RESPONDEO: quin immo nullum interest, nam si adest obligatio vitandi hoc nocumentum in actione et nihilominus volo actionem, in hac volitione physice et reali appretiatione illius actionis tanti aestimo bonum apparens quod intendo ut illud anteponam pracepto vitandi nocumentum, in quo essentialiter includitur parvipendere idem praeceptum comparatione illius boni apparentis. Hacc autem appretiatio physica et realis non reperitur quando non intercedit obligatio, ut magis explicatum est locis citatis. Ex qua solutione colligitur in tali peccato nec tam immediate nec tam proprie volitum esse nocumentum quam proprie et [f.211] immediate volitum est contemptus praecetti de vitando nocumento.

<sup>229</sup> Véase ArchTeolGram 2 (1939) 242-248. Como hemos repetido, el Comentario a las qq.18 y 19 no ha llegado a nuestros.

Dubitatur 2<sup>a</sup>

## De documento non praeviso

**1<sup>a</sup> CONCLUSIO:** *Quando nocumentum nec est praevisum nec intentum et per accidens se habet ad peccatum, non aggravat peccatum directe.* V.gr. si emittens sagittam in feram non intendit occidere hominem nec praevidet periculum occidendi hominem, licet occidat, nocumentum hoc<sup>230</sup> non aggravat directe eius peccatum. Ita D. Thomas, in praesenti, ubi Caletanus<sup>231</sup> et Conradus<sup>232</sup>, et alii discipuli; D. Antoninus, 1 p., tit.9, c.1, § 1 fine<sup>233</sup>.

**2<sup>a</sup> CONCLUSIO:** *Nihilominus, si culpabiliter hic homo non advertit hoc quod tenebatur advertere, scilicet utrum imminaret periculum vel non ex emissione sagittae, tunc nocumentum gravat peccatum indirecte, et propterea etiam imputatur ad poenam.* Ita D. Thomas, in praesenti; et D. Antoninus, 1 p., tit.9, c.1, § fine<sup>234</sup>. Et licet D. Thomas non dicat expresse eiusmodi nocumentum imputari ad culpam, nihilominus satis hoc insinuat dum ait imputari ad poenam; et non potest aliquid imputari ad poenam nisi propter culpam sive veram sive presumptam. Dicit etiam D. Thomas imputari ad poenam propter negligentiam; negligentia autem est culpa. Ac denique conclusio est a deo certa ut non potuerit negari a D. Thoma praesertim secundum suam et communem doctrinam de ignorantia culpabili, infra q.76, a.3, in cuius dubio 2 latius disputandum est de nocumento indirecte volito et in a.2 eiusdem q.76 quando sit culpabilis ignorantia.

Sed OBJICIUNT aliqui: Nullus tenetur nec potest advertere damna quae per accidens eveniunt, quia non cadunt sub humanam

<sup>230</sup> Nocumentum, ad marginem.

<sup>231</sup> THOMAS A VIO, *Commentarii in Summariam Srl. Thomae*, 1.2., q.73, a.8: *Opera Omnia Srl. Thomae cum commentariis Thome de Vio Caletina*, ed. Leon. 6.7, p.32.

<sup>232</sup> CONRADUS KOELLIN, OP, *Expositio Commentaria... in Primum Secundae... S Th. Aq.*, q.73, a.8: *Venecia 1589*, p.549.

<sup>233</sup> Véase nota 220.

<sup>234</sup> Véase nota anterior.

prudentiam; ergo nocumentum non praevisum nec intentum et per accidens eveniens nunquam [f.212v] aggravat culpam. RESPONDEO falsum esse antecedens, quia quamvis non omnia quae evenire possunt per accidens, aliqua tamen illorum cadunt in malam providentiam, ut pastor praevidere potest et cavere ne oves aliena sata depascantur.

Hic si quis desideraverit regulam praescribentem damna quae tenemur vitare quamvis per accidens contingant, sciat hanc obligationem multiplicem esse et dissimilem in diversis rebus, veluti utrum licet vendere arma, venena aut ornatum quibus quandoque abutuntur ementes, utrum licet petere mutuo sub usuris, locare domum meretrici, ministrare coenanti in die ieiunii, petere sacramenta a sacerdote existente in mortali, et quomodo in his licet unicuique suo iure uti, de quibus suis locis dicendum est; et aliqua breviter dixi in q.20, a.5<sup>231</sup>.

3<sup>a</sup> CONCLUSIO. Hinc colligitur quomodo intelligenda sint illa verba D. Thomae: Imputantur homini ad poenam mala quae eveniunt praepter eius intentionem si dabat operam rei illicitae, nam intelligenda sunt de re quae ideo est illicita quia periculosa est natura sua et ex illa plerumque sequuntur eiusmodi mala, quamvis per accidens et quamvis non sint intenta nec praevisa in tali opere, quia poterant facile praevideri, et ideo praevideri debuissent. Quare si ex hujusmodi rebus sequatur homicidium committitur poena irregularitatis, ut si quis vacaret venationi quae fit telis et ferocibus armis. Itaque nullo modo admittere debemus incurri eiusmodi irregularitatem quae poena est nisi fuerit in hominem culpa mortalis homicidii; ac proinde, nisi mors illa fuerit homini simpliciter voluntaria, saltem indirecte. Et ratio est, quia quaecumque turpitudo operis nihil refert ad irregularitatem, nisi fuerit in ea specie malitiae quam punit irregularitas scilicet in specie homicidij. Et hoc modo temp[213]randum est illud receptum axioma canonistarum: Homicidium casuale eveniens ex opere illicito irregularitatem inducit, etiamsi adhibita fuerit omnis diligentia quae adhiberi potuit ad praevenendum homicidium. Sed

<sup>231</sup> No conocemos este comentario.

de hoc late infra, ubi de ignorantia, q.76, a.3, dub.12 et 13, quae pertinent ad appendicem de ignorantia poenae.

**4<sup>a</sup> CONCLUSIO D. Thome:** *Si nocumentum sequatur ex actu peccati per se, licet non sit intentum nec praevisum, aggravat directe peccatum, quia quaecumque per se sequuntur ad peccatum pertinent quodanummodo ad eandem speciem peccati, ut si aliquis publice fornicetur per se sequitur scandalum plurimorum, ideoque quamvis ipse non intendat nec praevideat directe, aggravat peccatum.* Ita D. Thomas hic; et D. Antoninus, 1 p., tit.9, c.1, § 1 fine<sup>26</sup>. Sed DICES 1<sup>a</sup>: Nihil aggravat peccatum nisi imputetur ad culpam, nihil imputatur nisi volitum et nihil volitum nisi cognitum; sed huiusmodi nocumentum nec est praevisum nec intentum; ergo non poterit aggravare peccatum. **RESPONDEO:** hoc nocumentum nec praevisum nec intentum explicitè supponitur tamen esse praevisum et intentum implicite et virtualiter in aliqua re cognita et volita quae ex natura sua afferit tale nocumentum, ut magis explicabitur infra, q.76, a.2, dub.3. **OBVICIES 2<sup>a</sup>:** quia ut dictum est in dubio 1<sup>a</sup>, argumento 2, ideo damnum illatum messibus indirecte aggravat malitiam cunctis ad fornicandum, quia illud nocumentum non appetitur ut finis nec ut medium, sed sequitur ex medio electo ad finem; sed similiter scandalum quod sequitur ex publica fornicatione non appetitur ut finis nec ut medium sed sequitur ex ipso peccato; ergo non directe, sed indirecte aggravat. **RESPONDEO:** illud quod per se sequitur ex fine aut ex mediis reputari ut unum cum illis, et ideo esse [f.213v] directe volitum in illis et directe aggravare peccatum. Huiusmodi autem est scandalum publicae fornicationis, nam per se sequitur ex illa. At vero damnum quod per accidens sequitur ex fine aut mediis et est praevisum et non intentum illud est indirecte volitum.

<sup>26</sup> Véase nota 220

Dubitatur 3<sup>a</sup>

**Utrum eodem modo imputetur documentum  
quod sibi infert peccans sicut imputatur  
documentum quod infert alteri**

Videtur negare D. Thomas in secunda parte corporis in illis verbis *aliter tamen videtur se habere circa documentum poenale quod incurrit ipse qui peccat* etc.

Nihilominus, ut eadem verba et sequens contextus indicat, D. Thomas non loquitur de quolibet documento quod sibi infert peccans, sed solummodo de poena quam inducit.

Sit ergo 1<sup>a</sup> CONCLUSIO: *Documentum quod sibi infert peccans aggravat peccatum sicut documentum quod infert alteri quando peccans aliquo pracepto tenetur vitare illud documentum.* Ita D. Thomas ad 2 fine. D. Antoninus, 1 p., tit 9, c.1, § 1<sup>237</sup>; Richardus, 2, d.21, a.3, q.2 ad 2 et d.22, a.2, q.4 ad 1<sup>238</sup>. Et ex terminis evidens est: si enim tenetur vitare illud documentum culpa erit non vitare, quae culpa alteri adiuncta augebit illius gravitatem. CONFIRMATUR, quia documentum quod aliquis infert alteri tunc solum aggravat culpan quando quis tenetur illud documentum non inferte et tamen libere infert; at vero nulla est nec apprens ratio propter quam non imputetur in eadem proportione documentum quod aliquis infert sibi, imo caeteris paribus debet magis imputari hoc, quia strictius tenemur nobis quam aliis prospicere; unde gravius peccat qui citra necessitatem constituit se in vitae discriminé, quam qui alium volentem constituit. Dixi volentem ut caetera sint paria.

2<sup>a</sup> CONCLUSIO: *Hoc solum differt documentum proprium peccanti ab aliis documentis quod saepius non tenetur peccans vitare documentum quod sibi affert aut certe non tenetur tam stricte en quod sit dominus illius boni quod amittit, ideoque si suis*

<sup>237</sup> Véase nota 220.

<sup>238</sup> RICARDUS DE MEDIAVILLA, *Super quartos libros Sententiarum*, 1.2, d.21, a.3, q.2 ad 2: Brescia 1591, t.2, p.268a; y d.22, a.2, q.4 ad 1: ibid., p.280a.

messibus ignem admoveat non peccabit adeo graviter ac si alienas messes succendat, et aliqua spiritualia nocentia non tenemur vitare, quae propter ea non augent gravitatem culparum.

**3<sup>a</sup> CONCLUSIO:** *Gravitas poenae quae incurrit per peccatum non auget gravitatem peccati, etiam si per se consequatur ex illo.* Ita D. Thomas in praesenti. Quod ut ratione confirmem OBICIO contra illud: nam videtur pugnare haec conclusio cum praecedentibus, quia nocentium quod aliquis infert sibi non minus imputatur illi quam nocentium quod aliquis infert alteri; sed poena est nocentium quod peccando nobis afferimus; ergo imputatur. CONFIRMATUR 1<sup>o</sup>, quia ex caritate tenemur bonis animi prospicere magis quam bonis corporis; ergo qui in extremo vitae discrimine positus scit imminere sibi aeternum supplicium nisi confiteatur, et tamen confessionem omittit imputabuntur illi mala quae sibi infert. CONFIRMATUR 2<sup>o</sup>, quia ipse D. Thomas in fine corporis fatetur fidelem cognoscentem poenas inferni gravius peccare quam infidelem illarum ignarum.

**RESPONDEO ei sit 4<sup>a</sup> CONCLUSIO:** *Quaelibet poena reddit gravorem culpam si praevisa sit et volita saltem indirecte.* Hanc conclusionem efficaciter probat praecedens argumentum. Nihilominus adhuc poena praevisca et formaliter sumpta secundum rationem poenae non auget culpam, quia non potest augere [f.214v] nisi ut obiectum volitum, et poena ut sic potius habet rationem involuntarii. Et hanc fuisse mentem D. Thome manifestum erit legenti extremam partem corporis.

**5<sup>a</sup> CONCLUSIO:** *Poena gravior formaliter in ratione poenae est indicium gravioris culparum, si poenae gravitas sit per se annexa culparum.* De hac conelusione dictum est satis in q.88, a.1, dubio 9<sup>29</sup>.

**6<sup>a</sup> CONCLUSIO:** *Si poenae gravitas non sit per se annexa culparum, non est indicium gravioris culparum.* Hanc et praecedentem conclusionem docet D. Thomas hic; Scotus, 2, d.21, q.2 ad 2<sup>30</sup>;

<sup>29</sup> Véase ArchTeolGram 53 (1990) 239-244.

<sup>30</sup> IOANNES DUNS SCOTUS, *Quaestiones in librum secundum Sententiarum,*

ubi Durandus, q.3 ad 1<sup>21</sup>; Aegidius, 2, d.35, q.2, a.2 ad 1<sup>22</sup>. PROBATUR, quia non erit indicium gravioris culpe si quispiam invadens inimicum offendat natusque, quis haec poena per accidens sequitur ex culpa. Et ex tribus hominibus invincibiliter ignorantibus per mortale peccatum amitti gratiam et merita prius acquisita, si unus peccet mortaliter et amittat intensissimam gratiam et bona plurima prius facta, alter vero amittat remissam gratiam, alius autem nihil gratiae habuerit quod amittat, his hominibus poterit esse peccatum mortale aequaliter cacteris omnibus paribus, quamvis poenae ciusmodi sint adeo inaequales. Cuius ratio est, quia licet peccatum mortale per se puniatur expoliacione gratiae et meritorum nihilominus quod aliqua aut magna gratia praefuerit in homine peccante contingit per accidens.

#### Dubitatur 4<sup>a</sup>

##### **De comparatione spiritualis documenti cum temporali**

Hanc comparationem discutere compellimus argumento directe oppugnante praecipuam huius articuli conclusionem, quod idem in mortali et veniali difficultatem habet paulo dissimilem et claritatis gratia distinguendam in plures.

1<sup>a</sup> DIFFICULTAS est circa documentum peccati mortalis indirecte volitum, quia si illud aggravaret culpam sequeretur graviorem culpam esse inducere mulierem ad fornicandum quam homicidium, imo quam mille parricidia et preditiones patrias; consequens autem est falsum; ergo et antecedens. Sequitur probatur, quia si documentum aggravat, maius documentum aggravat magis; et cum peccatum mortale sit omnium malorum maximum fiet ut inducere illud documentum habeat malitiam maximam inter peccata, quac praeципue ex documento sortiuntur

d.21, q.2 ad 2: cd. Vivès, Paris, t.13 (1893) p.193.

<sup>21</sup> DURANDUS A STO. PORTIANO, *In Sententias Theologicas Petri Lombardi Commentariorum libri quatuor*, 2, d.21, q.3 ad 1: Amberes 1566, fol.166v.

<sup>22</sup> AEGIDIUS COLUMNA ROMANUS, *In Secundum Librum Sententiarum Questiones*, d.21, q.2, a.2 ad 1: Venecia 1581, t.2, p.190b-191a.

malitiam. ut sunt homicidia et prodiciones. Falsitas autem consequentis probatur, quia qui persuadet fornicationem praeceps ut causat detrimentum alterius non peccat gravius quam qui fornicatur; nam qui fornicatur efficacior et immediator causa est sui detrimenti spiritualis quam qui persuadet fornicationem; sed qui fornicatur non peccat gravius quam homicida; ergo nec qui persuadet fornicationem quamvis in hoc sit alia quasi pars malitiae ratione proprii nocumenti; de quo infra, difficultate secunda.

D. Thomas, in praesenti articulo ad 3, ubi Cajetanus<sup>243</sup>, Conradus<sup>244</sup> et alii discipuli; Soto, 5 De iustitia, q.10 et 1.4, q.6, a.3<sup>245</sup> respondent negando consequentiam, et ad eius probationem distinguendo antecedens: nam licet nocumentum gravius reddat graviores culpm caeteris paribus, in praesenti autem caetera non sunt paria; et imparitas provenit ex tribus praesertim rationibus: 1<sup>o</sup>, quia nocumentum directe volitum magis aggravat quam indirecte volitum, et homicida directe vult nocumentum corporis. [f.215v] Sed ille qui feminam ad fornicandum sollicitat indirecte tantum vult nocumentum feminae, quod consistit in peccato actuali et privatione gratiac, quia mors animac nec est finis talis actus (suppono enim persuadentis finem esse delectationem fornicationis) nec est medium necessarium ad finem, sed quid annexum modo explicato in dubio 1<sup>o</sup>, arguento 2. 2<sup>o</sup> ratio est, quia gravius peccatum est actus ex se sufficiens ad causandum nocumentum quam actus qui est causa insufficiens; et homicida sufficiens causa est mortis corporalis; at vero ille qui sollicitat feminam non est sufficiens causa mortis spiritualis, quia pendet ex libero consensu. Unde fit ut minus per se causeat mortem spiritualem quam mortem corporis, et proprieata minuatur gravitas. 3<sup>o</sup> ratio est, quia mors animac est reparabilis per media quae de-

<sup>243</sup> THOMAS A VIO, *Commentarii in Summam S. Thomae*, 1.2, q.73, a.8: Opera Omnia S. Thome cum annotationibus T. B. de Vio Cajetani, ed. Leon. 7, 33

<sup>244</sup> CONRADUS KOELLIN, OP, *Expositio Commentaria... in Primum Secundae... S.Th. Aq.*, 1.2., q.73, a.8: Venecia 1589, p.551a.

<sup>245</sup> VERESEA 118.

lege ordinaria conceduntur a Deo; sed mors corporis est irreparabilis.

Sed haec solutio non videtur satisfacere. Et contra rationem tertiam arguitur, quia irreparabilitas non auget gravitatem peccati nisi in quantum propter illam merito iudicatur nocumentum esse gravius quam si esset reparabile; sed mors corporalis habita ratione irreparabilitatis adhuc est nocumentum longe minus quam peccatum mortale quocumque, ut probatum est in q.88, a.1, dubio 6<sup>246</sup>; ergo inducere ad peccatum mortale est gravius peccatum quam occidere, etiam attenta irreparabilitate.

Deinde, contra duas priores rationes de indirecte volito et causa insufficienti arguitur, quia homicidia indirecte volita et quorum datur causa insufficientis pendens ab alterius libera voluntate gravius peccatum constitueunt quam sollicitatio ad fornicationem; ergo illae rationes non sufficient ad solvendum argumentum universaliter in omni casu. Antecedens probatur: si fingas aliquem Neronis adulatorem ut aucuparet gratiam principis ad crudelitatem propensi persuasisse urbis incendium; nam in tali casu innumera homicidia non magis directe volita essent in volita conflagratione urbis, quam volta est occisio animae in sollicitatione feminae ad fornicandum, quia non minus necessariam connexionem habent detrimentum intrinsecum peccato mortali cum actu ad quem persuadetur femina quam occisio hominum cum incendio urbis; quare si mors animae est indirecte volita etiam illa homicidia erunt indirecte volita. Et praeterea, qui persuadet Neroni hoc facinus causa est ita insufficient et pendens a libertate Neronis ut qui sollicitat feminam; et nihilominus tale consilium secundum malitiam quam habet praeceps in ordine ad vitam et facultates plurimorum civium abstractendo ab omni nocumento spirituali esset peccatum gravius quam sollicitatio feminae, ut ex se constat, et probari potest argumento in principio facti; ergo quamvis nocumentum spirituale sit absolute maius et nocumentum temporale sit volitum indirecte et causatum insufficienter,

ad huc dabitur aliquod peccatum gravius quod causat nocummentum temporale.

Alia solutio colligitur ex quoendam iuniorum doctrina, scilicet femina quae inducitur ad fornicandum nocummentum infert sibi in bonis quorum habet dominium, quia unusquisque habet dominium bonorum spiritualium, et propterea qui sollicitat illam levius peccat quam qui consultit incendium civitatis; ex quo sequitur nocummentum in rebus quarum non erat dominus imperator ille, nec adulator qui consilium dedit. Sed circa hanc solutionem, 1<sup>a</sup> instandum est non prorsus esse sub nostro dominio spiritualia bona, sed aliqua modo, ut dicetur in sequenti articulo, corollario 3. [f.216v] 2<sup>a</sup>, quamvis nocummentum quod consistit praecise in ammissione gratiae non teneamus vitare sub mortali, ut dicetur loco citato, tamen nocummentum quod consistit formaliter in peccato mortali tenemur sub mortali vitare. Quod probo et impugno praecedentem solutionem, quia quamvis caeteris paribus levius peccatum sit nocummentum affecte in bonis quorum domini sumus quam in aliis nihilominus aliquando est gravius, quia lege charitatis strictius obligamur illa bona retinere; unde sic argumentor: lege charitatis et contritionis tenetur quilibet odisse magis appetitiativae nocummentum quod sibi per peccatum mortale infert quam mortem corporalem, ita ut attenta ratione nocummenti si daretur optio et necessarium esset eligere mortem aut peccatum mortale deberet eligi mors quasi minus nociva homini quam peccatum, ut probatum est in q.88, a.1, dubio 6<sup>247</sup>; ergo praedicta solutio de dominio bonorum spiritualium non sufficit ad ostendendum ex nocummento spirituali aggravari peccatum minus quam ex nocummento temporali. 3<sup>a</sup> impugnatur eadem solutio, quia non satisfacit alteri difficultati quae nascitur ex eodem arguento accommodato ad peccatum veniale, ut infra, difficultate 4<sup>a</sup>.

Argumentum igitur in principio propositum ita solvendum est: 1<sup>a</sup> negatur sequela; et ad illius probationem conceditur maius nocummentum magis aggravare, et propterea nocummentum spirituale quod est in peccato mortali, quia tam incomparabili excessu

excedit omne aliud nocumentum magis aggravare peccatum quam nocumentum temporale homicidii praecise sumptum, idque sive illud nocumentum spirituale volitum sit directe sive indirecte. Sed cum inde interfert inducere ad fornicationem esse peccatum gravius homicidio, nego consequentiam, quia quamvis nocumentum spirituale proximi peccantis mortaliter sit maius [f.217] et magis aggravans quam nocumentum corporale mortis, nihilominus homicida interfert sibi soli nocumentum spirituale gravius quam sit nocumentum feminae consentientis et nocumentum vii sollicitantis simul sumpta; et ex alia parte nocumentum temporale homicidii est maius. Quod si petas in quo consistit hoc maius nocumentum spirituale homicidae, respondeo in gravitate malitiæ qua homicidium superat duo aut tria peccata fornicationis simul sumpta. Sed hanc solutionem oportet luculentius explicare. Quapropter observandum est 1º in praesenti non multo referre nocumentum spirituale amittendi gratiam et gloriam, quia hoc quandoque non continet mortalem malitiam, ut dicetur in sequenti articulo. Quare semper loquimur de nocimento intrinseco peccati mortalis quatenus illud respectu peccantis est maximum omnium malorum seclusa omni poena et privatione gratiae. 2º notandum est eandem difficultatem quae circa nocumentum vexat iuniores proponi posse circa personam contra quam peccatur, et in ea clarius solvitur, et inde accommodari potest solutio ad nocumentum. Sic ergo argumentum huiusmodi ad probandum duas fornicationes unius hominis esse maioris gravitatis quam unicum homicidium, quia tanto gravius peccamus quanto digniorem personam offendimus; ergo duplex offensa Dei simul sumpta gravior erit quam unicum homicidium quod continet unicam offensam Dei et offensam hominis. Cui argumento, ut colligitur ex iis quae dicemus in articulo sequenti, respondeo negando consequentiam, quia licet in homicidio sit unica offensa Dei illa tamen est gravior quam duplex alia offensa Dei, quae est in duplice fornicatione, idque propterea quia tantam iniuriam interfert proximo. Igitur sicut asserimus quando proximus gra[f.217v]vius offenditur Deum offendi gravius, ita asserendum est quando gravius nocumentum temporale interfert proximo gravius nocumentum spirituale peccanti, quia nocumentum

spirituale intrinsecum peccati tantum est quanta est offesa Dei. 3<sup>a</sup>: si dicas disparem esse rationem, quia offesa Dei reperitur in omnibus peccatis sed nocumentum spirituale proximi non reperitur in omnibus peccatis, respondeo ad nostram solutionem satis esse quod nocumentum spirituale intrinsecum peccato sit in omnibus peccatis respectu peccantis; unde postea infero quando aliud simile nocumentum spirituale infertur proximo cui persuadetur fornicatio esse quasi duplicatam gravitatem in peccato, ex alio nocumento proximo; et propterea illa fornicatio sollicitantis feminam non habet gravitatem tantam quam homicidium, quia homicidium habet gravius nocumentum spirituale homicidae quam duplex aut triplex fornicatio. 4<sup>a</sup> urgebis, quia propterea homicidium infert tam magnum nocumentum spirituale peccanti, quia eius obiectum est value nocivum proximo; sed respectu peccati sollicitandi ad fornicationem obiectum est peccatum proximi quod est maius nocumentum quam mors; ergo inde sumetur maior gravitas huius peccati. Respondeo eadem solutione aliter accommodata, et explicando minorem, quia in homicidio non solum est obiectum directe volitum mors proximi, sed etiam est obiectum indirecte volitum et imputabile nocumentum quod sibi infert ille qui peccat ex eo quod contra rationem agit occidendo; et hoc nocumentum spirituale est gravius quam nocumentum spirituale quod sibi et feminae vult qui eam sollicitat.

2<sup>a</sup> DIFFICULTAS est, utrum eiusmodi nocumentum spirituale indirecte volitum [f.218] mutet speciem peccati. RESPONDEO affirmative. Et exemplum sit in fornicatione cui additur alia species, quando quis inducit complicem ad fornicandum qui alias non erat paratus; nam ibi est peculiaris malitia contra charitatem quae sortitur speciem moralem scandali, quidquid dicat Cajetanus in praesenti<sup>248</sup>, qui falso supponit non variari speciem peccati ab obiecto malo indirecte volito. Huius falsitas constat ex dictis q.72, a.9, n.4<sup>249</sup>, ubi probatum est obiectum indirecte volitum tribueret

<sup>248</sup> THOMAS A VIO, *Commentarii in Summam Sti. Thomae*, 1.2, q.73, a.8: Opera Omnia Sti. Thomae cum commentariis Thome de Vio Cajetani, ed. lemo. 1.7, p.32.

<sup>249</sup> Véase ArchTeolGran 56 (1993) 288.

candem speciem moralem quam tribueret si esset directe volitum. Quod si dicas: nihilominus esse diversae speciei peccatum persuadere alicui fornicationem eo fine ut occides etiam animam, respondeo tunc esse diversae speciei peccatum non ex documento volito sed ex fine documenti, qui finis continet peculiarem turpititudinem scilicet vindicari ab hoc homine tanto damno vel vindicari a Deo inferendo damnum eius imaginis ut intendunt daemones.

Hinc sequitur illam circumstantiam sollicitandi complicem ad quocumque peccatum esse explicandam in confessione tum quia variat speciem tum quia licet non variaret, notabiliter aggravaret, quia licet aliquis nollet fornicari, sed solum extorquere consensum a femina esset peccatum mortale; ergo si hoc addatur supra deliberationem fornicandi notabiliter aggravabit. Plura de hac re ci de scandalo dicere non est huius loci.

**3<sup>a</sup> DIFFICULTAS** de documento peccati mortalis directe volito comparando cum documento temporali.

1<sup>o</sup>. Si quis feminam quam sciret interficiendam protinus eo fine sollicitaret ad fornicandum ut in aeternum damnaretur, ille peccaret [f.218v] multo gravius quam homicida peccat praecise ratione homicidii secluso spirituale damno, idque quia maius documentum et irreparabile et directe intentum causat, et quod est ex sua intentione satis efficaciter, quamvis non pendeat ex sua tantum voluntate, sed etiam ex aliena; imo quamvis non immineat praesens periculum mortis. Qui quod ex se est optaret aeternam damnationem alterius efficaciter causaret gravius peccaret quam homicida.

2<sup>o</sup>. Si ille qui sollicitat ad peccatum non intendit aeternam damnationem proximi, sed tantum spirituale damnum quod sequitur ex peccato mortali quando manet adhuc spatium poenitendi, tunc scandalum non semper erit peccatum gravius homicidio, erit tamen aliquando. In qua re possunt distingui mille comparationes additis vel praecisis quibusdam partibus documenti spiritualis aut temporalis in uno membro comparationis aut in alio. Multum enim refert utrum ille qui inducitur ad peccandum credatur esse in gratia vel non; utrum existimetur cito redditum ad gratiam vel non; et

utrum ille qui occiditur credatur esse in gratia. Praeterea, utrum ille qui intendit directe damnum spirituale proximi intendat directe solum damnum spirituale culpare reliiendo poenam et privationem gratiae vel intendat totum damnum spirituale. In quibus et aliis comparationibus documenti spiritualis cum homicidio decisio est non minus ambigua quam altera ab instituto praesenti, cuius est regulas generales tradere, non singula quaeque persequi.

**4<sup>a</sup> DIFFICULTAS** est de documento peccati venialis quae oritur ex eodem argumento quod propositum est in principio huius dubii. Nam si unicum veniale est gravius malum et magis nocivum peccanti quam mors et reliqua omnia mala poenae; ergo inducere alium ad unicum veniale, ut ad mentiendum et ocioso loquendo, erit peccatum ratione documenti gravius quam mille parricidia et pinditiones patriac.

[f.219] Variae solutiones adhibent iuniores. **PRIMA** concedit gravius documentum affterri ex consilio peccati venialis quam ex homicidio. Sed propterea, inquit, levius peccatum est consulere veniale, quia qui consultit non est causa efficax et totalis illius peccati. Haec solutio non satisfacit 1<sup>a</sup>, quia si quis mortem alteri machinaretur dependenter ab illius voluntate invitando ad Iudum periculosum vel ad cibum venenatum, nihilominus peccaret mortaliter, et tamen qui invitaret ad mentiendum, etiam si intendere illi hanc maculam et malum mendacii ex invidia nihilominus non peccaret mortaliter. 2<sup>a</sup>, quia unusquisque sibi est causa efficax et totalis documenti spiritualis quod continetur in peccato veniali, et non propterea peccabit mortaliter; ergo quamvis alteri esset causa totalis et efficax peccati venialis, adhuc non peccaret mortaliter. Respondebis negando consequentiam, quia unusquisque dominus est sui boni spiritualis et non est dominus boni spiritualis alterius. Sed haec solutio non est ad rem, quia qui consultit alteri peccatum citra vim et fraudem non infert proximo injuriam contra iustitiam violando ius et dominium quod proximus habet circa bona sua spiritualia; et propterea ad nullam restitutionem tenetur quamvis strictius teneatur lucrari suum ut cum aliis

doctoribus tradit Navarrus, 1.2, De restitutione, c.2, dub.1<sup>20</sup> idque lege charitatis contra quem tantum peccabit; at vero contra charitatem peccat similiter qui sibi infert nocumentum spirituale peccati, et tanto gravius quanto proximior quisque sibi est quam proximo. Unde si hoc nocumentum peccati venialis infero efficaciter mihi et non pecco mortaliter, similiter sine peccato mortali inferre possem idem nocumentum proximo, etiam si fuisse causa efficax illius, dummodo circa iniustitiam. Deinde reicitur eadem solutio, quia dominus est unusquisque divitiarum et [f.219v] tamen mortaliter peccabit contra charitatem, si ita illas sine ratione prodigat ut veniat ad necessitatem extrenam. Item, si quis optet ab alio sibi inferti mortem sine ratione et sine superiori aliquo fine peccat mortaliter contra charitatem; ergo quamvis documentum peccati venialis quod sibi quisque infert non sit contra iustitiam, sed sit in re cuius est dominus nihilominus erit peccatum mortale si nocumentum illius gravius est quam mors.

SECUNDA solutio principalis argumenti est: propterea homicidium esse peccatum gravius quam inducere ad veniale mendacium, quia affect gravius nocumentum eo quod ablata vita impediuntur plura bona honesta quorum potestas est dum vivimus. Sed non satisficit: 1º quia praescindendo ab omni utilitate spirituali quae spretur ex vita et atlento solo naturali bono est peccatum mortale inferre mortem; et tamen non est peccatum mortale consulere veniale. 2º, quia mors quandoque utilior est animae quam vita, quia plura imminent peccandi pericula quam opportunitates bene vivendi, et tamen eo etiam casu mortaliter peccat homicida. 3º, quia considerato nocimento spirituali quod resultat ex morte eo quod ablata sit commoditas bene agendi adhuc malum magis nocivum peccanti est unicum veniale, ut probatum est in q.88, a.1, dubio 6 fine<sup>21</sup>; ergo absolute erit gravius peccatum consulere veniale quam homicidium.

<sup>20</sup> M. DE AZPILCUETA, [DR. NAVARRUS], *De restitutione*, 1.2, consilium 2, dub.1: Lyon 1594, 122a

<sup>21</sup> Véase ArchTeolGran 53 (1990) 218s.

His et aliis importunis argumentis nos expedire non possumus alia via nisi quam aperniptius difficultate 1<sup>a</sup>. Dicendum igitur est inducere ad **unicum veniale maius nocumentum affert proximo quam eidem proximo affert homicidium; verumtamen homicidium affert nocumentum spirituale majus ipsi homicidac quam inducere ad veniale affert proximo.** Imo, nocumentum spirituale quod sibi **affert homicida est sine comparatione gravius quam quod innumeris hominibus inferretur si inducerentur ad plurima venialia.** Contra quam solutionem quae occur[er]e possunt obiectiones solutae sunt difficultate 1<sup>b</sup>.

### Dubitatur 5<sup>a</sup>

#### **Utrum omne peccatum maxime aggravetur ex nocimento**

De hoc D. Thomas, a.8 ad 2; D. Antoninus, I p., tit.9, c.1, § 1 fine<sup>221</sup>.

**1<sup>a</sup> CONCLUSIO:** *Peccatum per se non aggravatur maxime ex nocimento sed ex inordinatione.* Nocumentum autem non aliter aggravat nisi ut affert inordinationem. CONFIRMATUR, quia peccata quae sunt immediate contra Deum minus habent nocimenti proprie dicti quam peccata in proximis, quia Deo nullum nocumentum potest inferri proprie, et tamen gravissima sunt peccata contra Deum; ergo non omne peccatum aggravatur ex nocimento.

**2<sup>a</sup> CONCLUSIO:** *Si nocumentum accipiamus largius peccata omnia sive sint immediate in Deum sive in se ipsum sive in proximum aggravantur maxime ex nocimento.* PROBATUR, quia peccata quae sunt in Deum immediate affectunt saltem aliquod extrinsecum nocumentum Deo quod in se est, idque maiori iure quam reliqua peccata, ut dictum est in q.88, a.1, dubio 3 et praescritum duhio 4<sup>222</sup>. Cuius resolutioni valde faverit D. Thomas, hic. Pro quo observa illa verba attentare nocumentum et illa in his

<sup>221</sup> Véase nota 220.

<sup>222</sup> Véase *Archivum Gran.* 53 (1990) 185-191 y 191-195.

quae Dei sunt. Rursus, peccata contra se ipsum etiam afferunt aliquod nocumentum semper, saltem turpitudinis qua homo se ipsum dehonestat; at vero de peccatis in proximum constat semper afferre nocumentum.

Denique, pro universis conclusionibus huius articuli advertendum est, ut gravius reddatur peccatum ex documento nihil referte utrum re ipsa secutum sit nocumentum. Interest autem plurimum quantum vim habuerit actus qui volitus est, licet non sit factus ut causaret nocumentum. Nihilominus re ipsa consequi ex peccato multum refert ad committendam [I.220v] poenam, ut lege *Aud facta*, ff de poenis, § *Eventus*<sup>254</sup>. Et ad excitandum animum ad plures et intensiores actus malos, sicut explicatum est late q.20, a.4<sup>255</sup>. Praeterea infra, q.74, a.2, dubio 4, dicendum erit virum nocumentum sit peccatum exterius, et utrum revocata voluntate nocendi adhuc evenitus secutus sit peccatum.

### Articulus bonus

#### Utrum peccatum aggravetur ratione personae la quam peccatur

CONCLUSIO AFFIRMATIVA est certa. Quam docet D. Thomas, hoc articulo, quem integrum transcribunt D. Antoninus, 1 p., tit.9, c.1, § 1<sup>256</sup>, Vincentius, in Speculo, I.3, p.2, d.2<sup>257</sup> ei habetur conclusio lege *Aud facta*, ff de poenis, § *Personam et lege Omne delictum*, ff de re militari<sup>258</sup>.

DEMONSTRATUR, quia ex articulo 3, gravitas peccati augetur ex dignitate obiecti circa quod inordinate versatur; sed persona contra quam peccatur est etiam obiectum; ergo quanto dignior fuerit

<sup>254</sup> *Inst.*, XLVIII, 16, 8: ed. Krueger 867a.

<sup>255</sup> Como hemos repetido, no conocemos este comentario.

<sup>256</sup> Véase nota 220.

<sup>257</sup> I. VINCENTIUS, *Speculum morale*, I.3, p.2, d.2 fine: Venecia 1591, I.3, f.165r-v.

<sup>258</sup> *Inst.*, XLVII, 16, 3: ed. Krueger 866b y XI.9, 16, 6, 1: ed. Krueger 889a.

persona gravius erit peccatum. CONFIRMATUR, quia ut strictior est obligatio deferendi honorem digniori personae ita maior est inordinatio iniuriae contra illam.

Hinc COLLIGITUR 1<sup>a</sup>: *Licet omnia peccata contra Deum sint, ea tamen esse gravissima quae directe et immediate sunt contra Deum, modo explicaio q.72, a.4<sup>259</sup>*. Ita docet D. Augustinus, Sermon 47 de Sanctis, t.10<sup>260</sup>; D. Ambrosius, 8 lib. in Lucam, c.17<sup>261</sup> in id: *Si peccaverit in te frater tuus...* Ex quibus verbis id propterea colligunt, quia non praecipitur vitari qui peccaverit in te quoisque pertinax fuerit contra Ecclesiam; alvero haereticum hominem post unam correctionem vitandum esse docet Apostolus. Idem docet Pius papa, c. Sicut, 2, 17, q.1<sup>262</sup>; Gregorius, in 2 Regum c.3 [ ] expositionis moralis<sup>263</sup> et Chrysostomus, in caput 18 Matthei, hom.62<sup>264</sup>: *Quantum centum denarii a decem millibus talentis, tantum et plus ea peccata in quae in Deo committuntur distant ab iis quae in homines.* CONFIRMATUR: 1<sup>b</sup>, 1 Reg.2, [ ]: *Si peccaverit vir in virum placare ei potest Deus; si autem in Deum peccaverit, quis orabit pro eo?* Quac verba in sequenti capite quarto confirmantur Dei sententia iurantis quod non expletur iniurias domus Heli victimis et muneribus usque in aeternum, seu non liberetur a poena, quia scilicet sacrificia violaverant ut in quo peccaverant punirentur. CONFIRMATUR 2<sup>c</sup>, quia gravissimum est peccatum in Spiritum Sanctum, utpote quod nec dimittendum sit in hoc seculo nec in futuro Matthaei 12, [32], Marci 3 [29], Lucae 12, [10] et [1] Ioannis 5, [16s].

<sup>259</sup> Véase ArchTeolGran 56 (1993) 218ss.

<sup>260</sup> AUGUSTINUS, Sermo 225 (ad finem 47 De sanctis): PL 39, 2162.

<sup>261</sup> AMBROSIUS, Expositio Evangelii secundum Lucam, 1.8, c.17, n.22: CCL 14 305; PL 15 1862.

<sup>262</sup> C.I.C., c.12, CXXVII, q.4; ed.Friedberg 1, 818.

<sup>263</sup> GREGORIUS MAGNUS, In librum primum Regum, qui et Samuels dicitur, variarum expositionum libri sex, (1 Sem 2 25): CCL 144 164; PL 79 99.

<sup>264</sup> IOANNES CHRYSOSTOMOS, Commentarius in S. Mt. Evangelium, Homilia 62: PG 58, 589.

Hinc 2<sup>a</sup> inferi D. Thomas tanto peccatum esse gravius quanto est in personas Deo magis conjunctas; quo in genere valde augetur gravitas peccati commissi contra praelatum Dei locum tenentem. Et ad eius turpitudinem explicandam inductus est ille modus praecipiendi Exodi 22, [28] : *Diis non detrahes et principi populi tui non maledices.* Sicque, Exodo 16, [2] : *Murmurabit omnis congregatio populi Israel contra Moisen et Aaron in solitudine.* Et tamen Moises populum increpat his verbis: *Nos quid sumus quia mussitastis contra nos?* [Ex 16,7s] Nec contra nos est murmur vestrum, sed contra Dominum. Sic etiam Dominus ad Samuelem, 1 Regum 8, [7] : *Non te abiecerunt, sed me ne regnem super eos.* Ideoque David, 1 Re 34 [26, 11] oblata sibi occasione interficiendi Saulis ait: *Propitius sit mihi Dominus ne extendam manum meam in christum Domini.* Vide 2 Regum c.1 et 4. In hanc sententiam producit D. Thomas testimonium Iob 34, [18] qui dicit regi apostata qui vocat duces impios, oblitus, ut existimo, contextus in quo extollitur Dei supremum dominium quod reges et duces increpet nullius potentiam veritus.

Deinde, turpius est peccatum contra personam Deo consecratam ut sa[lf.221v]cerdotem aut prophetam, 3 Regum 19, [16] *altaria tua destruxerunt et prophetas tuos occiderunt gladio,* et 1 Paralipomenon 16, [21s]: *et corripuit pro eis reges, nolite tangere christos meos; et in prophetis meis nolite malignari.* Loquitur autem de patriarchis qui et prophetae et sacerdotes erant. Et Christus Dominus Mt 23 et Stephanus, Act 7, exprobant judaeis ut inmane facinus intersectionem prophetarum. Insuper, quanto persona strictiori amicitiae vinculo conjuncta est Deo tanto gravior est culpa in eam commissa. Et inde ostendit Dominus gravissimam fuisse culpam Aaronis et Mariae contra Moisem, quia Moises fidelissimus erat in omni domo Dei, et familiarissimus Deo, Num 12, [7], et propterea intimus quidam doloris sensus tribuitur Deo ad exagerandum peccatum gentium. Quae utcumque fideles laeserint, Zach 2, [8] : *Qui tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei.* Fideles enim appellantur Dei pupilla, ut Deuteronomio 32 [10] : *custodivit illam quasi pupillam oculi sui.* Et praesertim iusti, Ps 16, [8] : *custodi me ut pupillam oculi.* Ita intelligunt Hieronymus, Theodoretus et alii. Et ita legit illud pronomen *mei* editio Vulgata

Sixti V. Quod si legamus sui potest esse non solum praedictus sensus, sed praeterea alter pertinens ad gravitatem poenae eorum qui fideles tangunt. De quo vide Ribera ib<sup>265</sup>.

Quod si OBCLIAS levius peccari in virum sanctum quam in flagitiosum, quia huius animus et corpus laeditur iniuria, at vero sancti viri animus non laeditur, sed potius patientiae occasione perficitur, RESPONDET D. Thomas, hic ad 1, cum qui peccat in virum sanctum, quod in se est, perturbare animum illius; quod autem ille non turbetur contingit ex virtute recipientis iniuriam, quae non minuit culpam inferentis. Hoc recte dictum est si ille qui iniuriam infert nullo modo curet nec mem[1.222]nerit, utrum viri sancti animus perturbandus sit vel non. Nihilominus si propterea aliquis minus curaret abstinere ab iniuriis quod sciret alterius animum non esse perturbandum hoc accipit ratione obiecti, et videtur extenuare malitiam peccati, sed non extenuat tantum quantum aggraviat dignitas viri sancti. E contra vero, si quis sciat alium facile provocari ad iram et rixam, et nihilominus illum iniuriis lacessat gravius peccat caeteris paribus.

INFERT 3º D. Thomas, gravius hominem peccare in se ipsum quam in proximum, quia licet non sit magis coniunctus Deo quam proximus absolute, est tamen magis coniunctus quoad suum actum charitatis, nam charitatis ordine propter Deum et propter bonum rationis debet se praeferre proximo; in idque adducit D. Thomas illud Eccli 14, [5]: *qui sibi nequam est cui alteri bonus erit?* quod, licet de avaro dictum sit, quia sibi necessaria quasi per invidiam subtrahit ac propterea speranda non sit ab eo liberalitas erga alios, nihilominus ex hac particulari propter similitudinem rationis colligere licet universalem propositionem etiam circa bona spiritualia.

Animadvertisit D. Thomas, ad 2, haec intelligi quando peccans se laedit iis in rebus quarum non habet dominium, nam laedere se in iis rebus quarum dominus est aut nullum erit aut leve peccatum. Huiusmodi autem sunt bona fortunae et famae, quae quia ex

<sup>265</sup> F. RIBERA, S.I., *In duodecim Prophetas commentarii historici selecti*, In Zachariam, 2 B: Salamanca 1598, p.364.

genere acquiruntur hominis industria etiam ex genere subduuntur hominis dominio. Atvero naturae bona, quae a Deo conferuntur non sunt in dominio nostro et similiter bona spiritualia, ut D. Thomas asserit in praesenti. Sed dominium bonorum spiritualium examinare ad unguem non est huius loci. Illud tantum advertendum est multo magis cadere bona spiritualia sub hominis potestate quam bona naturalia, cuius duo sunt indicia: 1<sup>er</sup>, quod non tene-  
mur explicare in confessione nisi probabiliter existimaremus nos esse [f.222v] in gratia quando commisimus peccatum mortale; unde colligitur non esse specialem malitiam mortalem prodigere gratiam; foret autem malitia mortalis si non haberemus aliquod quasi dominium illius. 2<sup>nd</sup> indicium est, quia non possumus per vim resistere proximis ne peccent mortaliter nec compellere ad ea media quibus ad gratiam revocentur. Quod si alii non essent domini bonorum spiritualium possemus eos compellere ut cum qui sibi vult consistere mortem posset quicunque privatus homo per vim coercere. Quare D. Thomas, hic, solum vult bona spiritualia non subiici penitus libertati sicut bona fortunae, quia tenemur procurare Dei gratiam, sed non bona fortunae, nisi quando fuerint necessaria ad conservanda bona naturae. De hac obligatione quaerendi bona spiritualia, vide Doctores tractantes utrum statim post peccatum urgeat praeceptum contritionis.

4<sup>th</sup> INFERT D. Thomas, eadem ratione gravius esse peccatum quod in personam magis coniunctam peccanti quicunque vinculo sive sanguinis sive amicitiae sive beneficii. Nam hoc peccatum est magis contra ipsum peccantem.

5<sup>th</sup>: peccatum quod fit in personam publicam gravius est quam quod in personam privatam, quia illo laeduntur omnes homines qui publice personae subiecti sunt, ac proinde magis est contra charitatem.

6<sup>th</sup>: gravius est peccatum quod in celebriorem personam committitur sive ratione scientiae sive divitiarum sive alia ratione, quia eiusmodi peccatum, quod ex se est, redundat in plurimum scandala et tribulationem. Plures enim possunt commoveri iniuria celebrioris personae. Adde etiam: quamvis celebritas sit solum ratione divitiarum deberi maiorem honorem exterius, ut docet D.

Thomas, *Quodlibeto* 10, a.12<sup>266</sup>, ubi explicat sententiam Iacobi 2, [1–7] : ut divitibus non deferatur ille honor [f.223] qui proprius est virtutis et praescerit fidei, sed ille tantum qui ratione status altioris in republica debetur.

7º plures quaestiones oboriuntur ex dictis, scilicet utrum dignitas personae praeponderet consecrationi vel consecratio aut dignitas praepondereret sanctitati aut sanctitas propinquitati, ut scilicet una conditio personae maiorem gravitatem addat peccato quam alia. Sed infinitum esset singulas huiusmodi comparationes persequi. Aliquas autem universales regulas accipere possumus ex iis quae tradi solent circa ordinem charitatis 2.2., q.26<sup>267</sup>, et circa ordinem naturalis amicitiae et gratitudinis ab Aristotele et eius expositoribus, 9 *Ethicorum*, c.2<sup>268</sup>. Etenim si ex charitate teneris hanc personam pluris facere quam illam, gravius erit peccatum in hanc quam in illam commissum.

8º ex his COLLIGITUR, quandoque aggravari notabiliter peccatum ratione personae contra quam committitur, ita ut explicanda sit in confessione illa circumstantia, etiamsi non semper varietur species peccati.

9º COLLIGITUR, aliquam iniuriam, propter parvitatem materiae esse venialem respectu personae inferioris, et similem actionem esse mortalem iniuriam respectu altioris personae; illa enim levis percussio qua venialiter offenditur puer vel adolescens praescerit plebeius erit peccatum mortale si contra magnatum aut primarium virum committatur; et severe punietur in republica. Oppositum huius adscribitur D. Thomae, q.2 *De malo*, a.8 ad 5<sup>269</sup>, sed falso, nam ibi non agitur de persona contra quam fit iniuria, sed de persona quae peccat; de quo [f.223v] in articulo sequenti.

<sup>266</sup> THOMAS AQ. *Quodlibeto* 10, a.12: ed. Vivès 15, 579.

<sup>267</sup> THOMAS AQ., *Summa Theologicae*, 2.2, q.26: ed. Leon. 8, 209–223.

<sup>268</sup> ARISTOTELES, *Ethica ad Nicomachum*, 1.9, c.2: Basilea 1563, cols. 158s.

<sup>269</sup> THOMAS AQ., *Quaestiones disputatae de malo*, q.2, a.8 ad 5: ed. Leon.

### Articulus deeltnus

#### Utrum magnitudo personae peccantis aggravet peccatum

Affirmat universaliter D. Isidorus, 2 De Summo Bono, c. 18<sup>270</sup>; D. Hieronymus, Ezechiel 16, [51] in id quac iustificasti sorores tuas<sup>271</sup>; Augustinus, De poenitentia, relatus a Magistro, 4, d.16<sup>272</sup>, ubi communiter scholastici; et a Gratiano c. Consideret de poenitentia, d.5<sup>273</sup>, ubi communiter Canonistar; D. Crysostomus relatus c. Homo, d.40<sup>274</sup>; Nicolaus Papa II, q.3, cap. Praecipue<sup>275</sup>; Hilarius Papa, cap. Nulli fas, 25, q.1<sup>276</sup>; D. Thomas in praesenti et D. Antoninus, I p., tit.1, c.1<sup>277</sup>; Alexander, 2 p., q.105, mem.3, a.1<sup>278</sup>.

Sic et dignitatis gradu in quo fuit creatus Lucifer augetur gravitas illius peccati, ut docet D. Gregorius, c. Principium, De poenitentia, d.2<sup>279</sup>, et ex codice capite primi parentis peccatum gravius fuit peccato Evaë, ut optime docuit D. Bonaventura, 2, d.22, a.1, q.3<sup>280</sup>; Scotus, 2, d.21, q.2, a.3<sup>281</sup>. Gravius inquam quod est ex hac ratione præcise, nam aliis rationibus forte fuit peccatum Adæ simpliciter levius peccato Evaë, de quo vide Doctores ibi.

<sup>270</sup> [SIDORUS HISPALENSIS, *Opera. Sententiarum liber secundus*, c.18 n.6: Madrid 1778, p 57s.

<sup>271</sup> HIERONYMUS, *Commentarii in Ezechielem*, OCL 75, 198; PL 25, 158B.

<sup>272</sup> PETRUS LOMBARDUS, *Libri IV Sententiarum*, 4, d.16, c.2; ed. Quaracchi 1916, t.2, p.840.

<sup>273</sup> C.I.C., c.1, D.5, De poen.; ed. Friedberg 1, 1238s.

<sup>274</sup> C.I.C., c.5, D.XL; ed Friedberg 1, 146.

<sup>275</sup> C.I.C., c.3, C.XI, Q.3; ed. Friedberg 1, 642s.

<sup>276</sup> C.I.C., c.5, D.XIX; ed. Friedberg 1, 61.

<sup>277</sup> ANTONINUS, *Summa*, 1 p., tit.1, c.1, § 2: Lyon 1529, f.99v a.

<sup>278</sup> ALEXANDER DE HALS, *Summa Theologica*, 2 p., q.105, mem.2, a.1: Lyon 1516, t.2, f.215a.

<sup>279</sup> C.I.C., c.45, D.33, de Poenitentia, d.2; ed. Friedberg 1, 1209ss.

<sup>280</sup> Véase nota 207

<sup>281</sup> JOANNES DUNS SCOTUS, *Quaestiones in librum secundum Sententiarum*, 2, d.21, q.2, a.3; ed Vivès, 13 (Paris 1893), p.142a.

[Idem] COLLIGITUR ex Tridentino, sessione 6<sup>a</sup>, c.11<sup>282</sup>, dicente iustos esse magis obligatos ad ambulandum in via iustitiae, sicutque lege 2, ff De re militari<sup>283</sup>, augere ait omne delictum dignitate et gradu et in sequenti lege 3 et lege *Non omnes*, eodem titulo<sup>284</sup>.

Verumtamen oportet sigillatim explicare quae magnitudo personae et quae peccata graviora reddat et qua ratione.

[f.224] Prima CONCLUSIO: *Personae sanctitas gravius reddit peccatum*. PROBATUR Ezechiel 16 ubi Ierusalem dicitur iustificare sorores suas, et suorum scelerum gravitate leviora ei fere nulla videri peccata Samariae et Sodomae, quia scilicet Ierusalem maiori obligatione tenebatur vitandi peccata. Et in hanc sententiam D. Hieronymus, ibi<sup>285</sup>, adducit illud Ezechieli, c.9 [8s] ubi Dominus divinae vindictae ministris praecipit a sanctuario incipere, vel ut LXX legunt *A sanctis meis incipire*, ubi Interlinealis et Ordinaria<sup>286</sup> rationem reddunt quia ab illis peccatum coepit (adducit etiam illius 1 Petri 4 [17]: *tempus est ut incipiat iudicium a domo Dei*, sed hoc non ad gravitatem, sed potius ad levitatem et brevitatem poenae videtur referendum ut iusti puniantur in hoc seculo et in futuro beatitudine fruantur). Hac ratione Dt 32 [19]: *vidit Dominus et ad iracundiam concitatus est, quia provocaverunt eum filii sui et filiae*. Et Ier. 11, [15] conqueritur: *quid est quod dilectus meus in domo mea fecit scelera multa?* Et ad Rom 2, [9]: *tribulatio et angustia in omnem animam operantis malum, iudei primum et graeci*, quia hi praecellebant aut supranaturalibus aut naturalibus virtutibus sive intellectus tantum, ut scientiae ei fidei, sive etiam voluntatis. Ita D.

<sup>282</sup> Vérs. en Dz, 804.

<sup>283</sup> *Iusit. XLIX*, 16, 2; ed. Krueger 888a.

<sup>284</sup> Ibid., y XLIX, 16, 5; ed. Krueger 889.

<sup>285</sup> HIERONYMUS, *Commentarii in Ezechielum*, c.16; CCL 75, 207s; PL 25, 162; c.9,6; CCL 75, 107; PL 25, 92.

<sup>286</sup> Cf *Biblia Sacra cum Glossa ordinaria et apostilla N. de Lira...*, Ez 9: Lyon 1590 1,6, entre col 118 y 119.

Chrysostomus, ibi, sermone 5<sup>287</sup>, et ex D. Ambrosio Petrus Lombardus<sup>288</sup>. Et hac ratione peccata christianorum graviora sunt peccatis infidelium cacteris paribus, ut tradit Apostolus ad Hebreos 10 [28s] et 12. Et confirmat Vega, 11 in Tridentinum, c.23<sup>289</sup> ex Gregorio, Tertulliano, Hieronymo, Bernardo et Theophilacto. Similiter Almain, 1 Moralium, c.7<sup>290</sup> ex Altissiodorensi; et Adrianus, quodlibeto 4, a.2, corol.1.<sup>291</sup>

[f.224v] Huius autem RATIONES sunt: 1<sup>a</sup>, quia sanctior sibi maiorem contumeliam et detrimentum infert peccando praesertim laetaliiter;

2<sup>a</sup>, quia sanctior facilius poterat vitare peccatum praesertim si melius calluerat eius malitiam, unde 2 Petri 2 [21]: *melius erat eis non agnoscisse viam iustitiae quam post agnitam retrorsum converti*;

3<sup>a</sup> ratio, quia iustior plura accepit beneficia ex quibus augeri gravitatem iniuriae constat, Lc 12, [48]: *ubi multum datum est, multum exigetur ab eo*. Et Dt 32, 1 Regum 10, 2 Regum 12, Ezechiel 16, Ieremias 2 et alibi passim;

4<sup>a</sup> ratio est: ex peccatis et punione iustiorum maius scandalum resultat et contumelia Dei, unde Is 52, [5]: *et nunc quid mihi est, dicit Dominus, quia ablatus est populus meus gratis, dominatores eius inique agunt, et iugiter tota die nomen meum blasphematur*. Et Ez 36, [20]: *ingressi sunt ad gentes ad quas introierunt et polluerunt nomen sanctum meum cum diceretur de eis 'populus meus iste est' et de terra eius egressi sunt*. Unde ad Romi 2, [24] iudacis exprobrat Paulus: *nomen Dei per vos blas-*

<sup>287</sup> IOANNES CHRYSOSTOMUS, *In epistolam ad Romanos commentarius*, Hom. 5: PG 40 425s.

<sup>288</sup> PETRUS LOMBARDUS, *Collectanea de omnes Divi Pauli Epistolas*, *In epistolam ad Romanos*, c.2, v.9: PL 191 1342D.

<sup>289</sup> A. VEGA, OFM, *De iustificatione doctrina universa libri XV*, 1.11, c.23: Colonia 1572, p.397.

<sup>290</sup> JACOBI ALMAIN, *Moralia quae vocatur*, 1.1, c.7: Paris 1526, f.19v.

<sup>291</sup> ADRIANUS SEXTUS PONT. MAX., *Quaestiones quolibeticae*, q.4, a.2, corol.1: Padua 1522 (reproducción New Jersey, USA 1964) fol.38b, Tertio.

*phematur inter gentes sicut scriptum est. Aliud non disimile David audivit a Natan 2 Reg. 12.*

5<sup>a</sup> ratio est, quia sanctiores efficiuntur peccati et incorregibiles si ex contemptu et malitia peccant. Unde Augustinus, in epist. 137 ad plebem hiponensem, et habet c. *Quantumlibet* 47 d.<sup>22</sup>, sic ait: «Sicut difficile sum expertus meliores quam qui in monasterio profeserunt, ita non sum deteriores expertus quam qui in monasterio defecerunt». Hinc arbitror dictum in Apocalipsi [22, 11]: *iustus iustificetur adhuc, et qui in sordibus est sordescat adhuc.*

Quod si OBIICIAS: nullus debet ex sua virtute incommode reportare; ergo peccatum sanctioris non est gravius. Confirmatur, quia bona circumstantia non habet malitiam quam conferat peccatum; ergo non reddit gravius peccatum; sed virtus, dignitas, et accepta beneficia sunt bonae circumstantiae; ergo non augent malitiam peccati. D. Thomas, hic ad 3, RESPONDET hoc incommode non reportari ex virtute, sed ex malo usu illius. Similiter respondet ad confirmationem Alexander, 2 p., q.105<sup>23</sup>, scilicet bonas circumstantias non augere malitiam per se et directe, sed occasione data; at vero formaliter et per se auget malitiam malus usus illarum.

2<sup>a</sup> CONCLUSIO praecedentem limitans: *ea peccata quae ex humana fragilitate vel ex subreptione aut ignorantia committuntur leviora sunt in sanctiori persona.* Ita D. Thomas, 2.2., q.186, a.10<sup>24</sup>, et in praesenti articulo, ubi Caecilius<sup>25</sup>, Contra-

<sup>22</sup> C.I.C., c.9, D. XLVII: ed. Friedberg 1, 173.

<sup>23</sup> ALEXANDER DE HALLES, *Summa Theologica*, p.2, q.105: Lyon 1516, f.215a-b.

<sup>24</sup> THOMAS AQ. *Summa Theologica*, 2.2., q.186, a.10: ed. Leon.10, 504.

<sup>25</sup> THOMAS A VIO, *Commentarii in Summam Sti. Thomae*, 1.2., q.73, a.10: *Opera Omnia Sti. Thomae cum commentariis Thome de Vio Cajetani*, ed. Leon. 1.7, p.33, al final del commentario al a.8, dice: «In articulis nono et decimo eiusdem questionis septuagesimac terciac, nihil scribendum occurrit».

dus<sup>296</sup>, et alii expositores; D. Antoninus, I p., tit.9, c.1, § 1<sup>297</sup>; Vincentius in Speculo, I.2, p.2, d.2 fine<sup>298</sup>; Angelus, *religiosus*, n.65<sup>299</sup>; Sylvester, *Religio* 6, n.14<sup>300</sup>.

PROBAT D. Thomas ex 2 Par 30 [18s]: *Dominus bonus propitiabitur cunctis qui in toto corde requirunt Dominum Deum patrum suorum, et non imputabit eis quod minus sanctificati fuerint.* Quae verba sunt Ezechiac orantis pro iis qui non sanctificati comedevant Phase, contra Dei legem, et exaudita est eius oratio, ut ibidem scribitur.

2<sup>a</sup> PROBATOR, quia facilius dimittitur culpa sanctionis, et propterea 2 Par 19 [2s] regi losaphat dictum est: *impio praebes auxilium et iis qui oderunt Dominum amicitia iungeris et idcirco iram Domini merebaris; sed bona opera inventa sunt in te.* Et ex antecedentibus et consequentibus constat opera bona praecessisse ante eiusmodi peccata.

3<sup>a</sup>, quia sanctior cum ex subreptione labitur et non ex malitia, facilius corrigitur. Unde Origenes, homilia 4 in id Ps. 36, [24]: *cum ceciderit non collidetur*, sicut iniustus si peccaverit non poenitet et peccatum suum emendare nescit; iustus autem scit emendare, scilicet corriger, sicut ille qui dixit: nescio hominem, [f.225v] et paulo post respectus a Domino flevit amarissime. Et ille qui de tecto vidi mulierem, dixit: peccavi et malum coram te feci<sup>301</sup>.

4<sup>a</sup>, quia amicis facilius condonamus iniurias minus deliberate commissas.

<sup>296</sup> CONRADUS KOELLIN, OP, *Expositio Commentaria... in Primam Secundae... S.Th. Aq.*, q.73, a.10: Venecia 1589, p.554.

<sup>297</sup> ANTONINUS, *Summa*, I p., tit.9, c.1, § 2: Lyon, (1.1) 1529, f.99v a.

<sup>298</sup> J. VINCENTIUS, *Speculum morale*, I.3, p.2, d.2 fine: Venecia 1591, f.165r-v.

<sup>299</sup> ANGELUS CHIVASSO, *Summa Angelicae*, v. *religiosus*, n.65: Venecia 1525.

<sup>300</sup> SYLVESTER PRIERAS, OP, *Summa Summarum*, v. *religio* 6, n.14: Lyon 1553, 2, p.354b.

<sup>301</sup> ORIGENES, *In Psalmis homiliae*, in Ps. 36, hom.4: PG 12, 1351.

5<sup>a</sup>, quia sanctior minori contemptu peccat, siquidem magis laborat coercere passiones et vitare peccatum.

Sed quid si aequali prorsus inadvertentia et subreptione cadant duo sanctitate impares? RESPONDEO peccatum sanctioris tunc esse gravius propter rationes dictas in prima conclusione. Quod si OBICIAS: Iam ergo universaliter dicendum est sanctitate personae augeri gravitatem omnium peccatorum etiamsi minus deliberata sint, quia cacteris omnibus paribus est gravius minus deliberatum peccatum sanctioris. RESPONDEO illam circumstantiam minus deliberati et minus praevisi provenire a sanctitate personae, quia persona sanctior magis curat a peccatis cavere, et propterea iste excessus gravitatis aut levitatis non excluditur cum loquuntur praeceps de sanctitate personae.

Et observandum est in sanctiori persona leviora esse non solum venialia, sed etiam mortalia dummodo non plena deliberatione fiant, sed ex fragilitate aut ignorantia, sicut e contra graviora sunt non solum mortalia, sed etiam venialia, si plena deliberatione committantur.

3<sup>a</sup> CONCLUSIO corundem Doctorum: *Dignitas personae auget gravitatem peccati cum ratione intenti muneris peculiari obligatione tenebatur quis vitare illud peccatum.* Et propterea Ez 22 a medio arguuntur prophetae de mendacio, sacerdotes de sacrilegio, principes de iniustitia. Et quod attinet ad prophetarum mendacium, latius traditur Ez 13 et 14 et Ier 23. De sacrilegio sacerdotum Ez 18. Et quod attinet ad iudices, Sol 3, Mic 3, Dan 13 et 2 Par 19, sed peculiariter Sap 6, ubi propter accepitum beneficium, et quia Dei vicem gerunt iudices.

Colligitur haec conclusio: exiguo conceditur misericordia, potentes autem potenter tormenta patientur. Adde etiam his rationibus scandalum quod sequitur ex magnatum peccatis. Unde Gregorius, in Pastorali, p. 1, c.2<sup>302</sup>, in exemplum culpa vehementer extenditur cum pro reverentia gradus [f.226] peccatum

<sup>302</sup> GREGORIUS MAGNUS, *Regule pastoralis*, p.1, c.2: PL 77 15s.

honoratur. Unde quot subditis scandalum patiuntur tot mortibus dignos esse praecatos peccantes, tradit ex Gregorio Nicolaus papa, c. *Præcipue*, 11, q.3<sup>300</sup>.

Sed restat satisfacere quatuor DIFFICULTATIBUS:

1º est, utrum magnitudo personae peccantis ita augeat peccati malitiam ut ex veniali faciat mortale; et utrum explicanda sit in confessione.

DICO 1º: *Si magnitudo personae peccantis habet annexum speciale præceptum aut votum, constat quandoque fieri ex veniali mortale. Sic avaritia, quae saecularibus venialis est, religiosis erit mortalis propter votum paupertatis.*

DICO 2º: *Secluso speciali præcepto aut voto, peccatum quod ex parvitate materiae est veniale raro aut nunquam redditur mortale propter magnitudinem personae peccantis, nisi forte misceatur scandalum grave aut aliquid huiusmodi. Ita D. Thomas, q.2 De malo, a.8 ad 5<sup>301</sup>. Et ratio est, quia dignitas aut sanctitas personae peccantis præcise et seclusis aliis non videtur notabile inermentum addere peccatis.*

DICO 3º: *Inde colligitur viz unquam esse obligationem explicandi in confessione circumstantiam personae peccantis, secluso speciali voto aut præcepto, quia nec mutatur species nec notabiliter aggravatur peccatum (Conclusionem docet Navarrus, in Manuali, c.6, n.11<sup>302</sup>, quamvis ex alio fundamento). Docet etiam Zumel, in praesenti articulo, dubio 1<sup>303</sup>, sed sine sufficienti fundamento hoc tribuit Cajetano, 1.2., q.7, comm. unico<sup>304</sup>.*

<sup>300</sup> C.I.C., c.3, C.XI, Q.3: ed. Friedberg 1, 642s.

<sup>301</sup> THOMAS A.Q., *Quaestiones disputatae de malo*, q.2, a.8 ad 5: ed. Iompi, 23,52.

<sup>302</sup> M. DE AZPILCUETA, [DR. NAVARRUS], *Enchiridion sive Manuale confessariorum et poenitentium*, c.6, n.11: Roma 1590, p.64b.

<sup>303</sup> F. ZUMEL, OM, *In primam secundae S. Thome Commentarii ieiunius primus*, q.73, a.10, dub.1: Salamanca 1594, p.279s.

<sup>304</sup> THOMAS A VIO, *Commentarii in Summam Sti. Thome*, 1.2., q.7, comm. unicum: Opera Omnia Sti. Thomae cum commentariis Thomae de Vio Cajetani,

**2<sup>a</sup> DIFFICULTAS** est: Utrum gravius sit peccatum quod vilius et humilior persona committit. Exemplum esse potest, utrum ceteris paribus gravius sit peccatum hominis quam angeli praecise propter imperfectiorem naturam, et utrum gravius sit peccatum hominis existentis in peccato mortali quam existentis in gratia.

Videbitur alicui iam esse stabilitam negativam partem in 1<sup>a</sup> conclusione huius articuli, qua constat absolute gravius esse peccatum sanctioris et altioris personae; ergo humilitas et dignitas personae peccantis absolute minuit culparum.

[f.226v] Nihilominus RESTAT DIFFICULTAS, utrum vilitas personae peccantis, quod ex se est augeat gravitatem iniuriae quamvis non praehabat incrementum tantum quantum praebet dignitas et sanctitas. Et vilitate seu indignitate personae peccantis augeri gravitatem probari potest quia dignitas bene operantis auget meritum; ergo indignitas et humilitas eiusdem auget demeritum. Probatur consequentia, quia sicut se habet dignitas ad obsequium, ita se habet indignitas ad iniuriam. Confirmatur 1<sup>o</sup>, quia in materia de Incarnatione et de peccatis Doctores theologi exaggerant gravitatem omnium peccatorum eo quod vilissima creatura contra Creatorem insurgat, ut vidimus q.88, a.1, dubio 5<sup>o</sup>. Confirmatur 2<sup>o</sup>, quia distantia personae offendit a persona offensa auget iniuriae gravitatem, et tanto maior est distantia quanto vilius est persona offendens, quod evidenter constat inter homines a quibus gravior censetur iniuria magnatis si cani accipiat ab homine plebeio, quam si ab illo primario.

Nodus hic SOLVITUR distinctione: nam dignitas personae offendit dupli modo comparatur ad personam offensam, et similiter indignitas. Contrarius modus est quando persona offendens suam dignitatem non accepit a persona offensa, sed habet a se vel ab alia persona vel totam dignitatem vel aliquid illius; et tunc dignitas minuit gravitatem offensac; et e contra carentia illius dignitatis et vilitas auget gravitatem iniuriae, ut

evidenter [probat] praecedens argumentum. Sed hoc reperitur solum inter creaturas quarum nulla potest alteri esse totale principium dignitatis et magnitudinis. Secundo modo dignitas personae offendit et accepta est a persona offensa vel tanquam a causa totali vel tanquam a causa dante virtutem reliquis causis, cui propterea acceptam referre debemus dignitatem integrum. Et hoc modo comparatur omnis dignitas creaturarum respectu Dei, cuius igitur dignitatis carentia seu negatio et vilitas non auget gravitatem iniuriae, sed potius illam auget ipsa dignitas. Hujus ratio evidens [f.227] est, quia dignitas quam una persona prorsus accepit ab alia non excusat quominus illi subiecta sit et humilijs. Inde superbia et contemptus contra talēm personam non erit minus contra rationem, ito magis. Unde creatura, quae a Deo accipit summa beneficia tenetur semper habere prae oculis se habere a se nihil, et propterea illius superbia et contemptus Dei in committendo peccato erit tam magna ratione vilitatis personae ut superbia cuiusque creaturæ, et praeterea ratione beneficij accepti erit gravior.

Igitur ad difficultatem propositam, ita RESPONDEO: illa vilitas et indignitas quac augere potest gravitatem peccati respectu Dei aequalis est in omnibus creaturis et propterea ex illo capite non est gravius peccatum in una creatura quam in alia.

**3<sup>a</sup> DIFFICULTAS** est: Utrum dignitas personae peccantis ignorata invincibiliter augeat gravitatem peccati.

Opus non est hoc idem quadrare de aliis circumstantiis nocimenti personæ contra quam peccatur et similibus, quia sive in bonis sive in malis actionibus ad meritum vel demeritum nihil conferunt huiusmodi circumstantiae nisi in quantum cognitæ sunt et volitac, ut probatum est in q.18, a.10, dubio 1, et dictum est in q.72, a.9, initio<sup>39</sup>. Altero circumstantia personæ elicientis actum habet peculiarem difficultatem, quia quamvis prorsus ignorata sit et involuntaria, dignitas et sanctitas personæ operantis confert valorem operi, et propterea meritorius est actus hominis

qui ex ignorantia existimabat se inimicum Dei, si habeat alia requisita ad meritum; ergo similiter dignitas et sanctitas personae peccantis quamvis prorsus ignoretur augabit gravitatem culpae. Confirmatur, quia si dignitas personae non augeret meritum operis nisi ut cognita et volita, sequeretur quod non augeret nisi ut obiectum; unde sicut alia obiecta infinita non conferunt infinitum valorem nostris operibus ita dignitas personae non conferret infinitum valorem operibus Christi Domini.

[f.227v] Nihilominus DICENDUM est dignitatem et sanctitatem personae non augere gravitatem peccati nisi cognita fuerit. PROBATUR, quia dignitas et sanctitas personae cum ex se bonae sint non habent proportionem ad augendam malitiam nisi in quantum homo abutitur illis, ut recte D. Thomas, hic ad 3, et Alexander, 2 p., q.105, mem.3, a.1<sup>310</sup>, sed non potest esse abusus sanctitatis et dignitatis nisi in homine cognoscente illas, quia abusus est malus usus, et usus esse non potest nisi cognoscatur res qua utimur. CONFIRMATUR 1<sup>a</sup>, quia illa peculiaris dissonantia a ratione quae est in peccato respectu sanctitatis et dignitatis, et peculiaris illa obligatio abstinendi a peccatis quae provenit ex sanctitate et dignitate non imputabuntur homini si invincibiliter ignorentur. CONFIRMATUR 2<sup>a</sup>, quia non sunt graviora peccata praedestinati quam praesciti cacteris paribus, si ignorentur praedestinatio et reprobatio, ut recte Almain, I Moralia, c.7<sup>311</sup>.

Hinc solvitur ratio dubitandi et redditur discrimin inter meritum et peccatum. Nam dignitas et sanctitas personae ratione sui et per se ordinata est ad valorem boni operis; sed ad turpitudinem et demeritum non nisi per accidens propter nostrum abusum.

Hinc solvitur alia quaestio: utrum futurae essent infinitae gravitatis peccatum Christi Domini Nostri si per impossibile peccaret per humanam voluntatem. Et dicendum est futurum fuisse gravitatis finitae, quia dignitas personae non confert gravitatem peccato nisi ut obiectum volitionis; obiectum autem non potest in

<sup>310</sup> ALEXANDER DE HALES, *Summa Theologica*, 2 p., q.105, mem.3, a.1: Lyon 1516, f.215.

<sup>311</sup> JACOBUS ALMAIN, *Moralia quae vocatur*, I.1, c.7: Paris 1526, f.20.

actum creatum conferre bonitatem aut malitiam infinitam, ut dictum est q.88, a.1, dubio 5<sup>12</sup>. Deinde, dignitas naturae humanae quod ex se est praecesis omnibus beneficiis Dei non est major in humanitate Christi quam in aliis, modo explicato in praecedenti difficultate.

4<sup>o</sup> et gravior DIFFICULTAS est: Utrum distantia creaturec a Deo, quamvis ignorata sit invincibiliter conferat gravitatem peccato. Exemplum sit ethnicus imperator qui se deorum filium existimaret [f.228] et in deorum numerum transferendum dato caso sive possibili sive impossibili quo haec ignorantia esset invincibilis, quaeritur utrum illius imperatoris peccatum cacteris paribus esset levius quam hominis agnoscentis quam vilis et abiectus sit comparatione Dei.

Non est quaestio de intrinseca malitia actionis. Illud enim commune est bonis et malis actionibus, ut intrinsecam bonitatem aut malitiam non accipiat ab ulla re etiam a circumstantia personae operantis nisi in quantum illam respiciunt ut obiectum cognitum et volitum, ut dictum est supra, q.88, a.1, dubio 5<sup>13</sup>. Igitur quaestionis status est de extrinseco valore aut gravitate augente demeritum peccati et realum poenarum.

Scopus autem huius quaestioonis est examinare, utrum in quolibet peccato reperiatur demeritum simpliciter infinitum. Si enim distantia creaturec a Deo, quamvis ignorata sit et involuntaria auget hanc extrinsecam gravitatem et demeritum, augebit infinitum simpliciter, quia distantia illa est simpliciter infinita et non limitata per cognitionem aut volitionem.

Ratio autem dubitandi est, quai dignitas personae bene operantis etiamsi ignorata sit auget extrinsecum valorem operis, et ex consequenti auget meritum, ut in praecedenti difficultate dictum est; ergo indignitas et vilitas personae male operantis, et distantia illius a Deo quem offendit, quamvis sit prorsus ignorata augebit quasi valorem malit operis, seu demeritum et proportionem ad

<sup>12</sup> ArchTeolGraec 53 (1990) 195-205.

<sup>13</sup> Véase nota anterior.

poenam. Et cum haec distantia sit infinita augebit infinitum sicut meritum Christi Domini est infinitum simpliciter propter valorem extrinseca denominatione acceptum a persona.

Nihilominus sit CONCLUSIO: *Distantia creaturae a Creatore et quaelibet indignitas personae peccantis nihil refert ad augendam malitiam vel demeritum, nisi aliquo modo cognita sit et volita inordinatio maior quae ex circumstantia personae resultat.* PROBATUR conclusio et solvit ratio dubius [f.228v] tenui ex discriminis inter meritum et demeritum, quod explicatur dupli via: 1<sup>a</sup> est quia dignitas personae quae auget meritum extrinsece, etiam si ignorata sit, est illa tantum dignitas quae personam reddit magis gratam Deo ita ut propter maiorem benevolentiam Dei erga personam bene operantem illius bona opera acceptentur ad maius praemium, ut ex Sacra Scriptura colligitur in materia de Gratia. Quare, ut servetur similis proportio illa tantum indignitas ei distantia creaturae a Deo augebit demeritum quamvis ignorata sit, quae reddit creaturam magis inimicam Dei; sed vilitas quam creatura habet ex eo praecise quod creatura sit non reddit illam inimicam Dei; ergo tota illa distantia infinita creaturae a Deo non augebit demeritum nisi cognita fuerit. CONFIRMATUR 1<sup>a</sup>, quia sola illa vilitas et distantia a Deo quae reperitur in peccato actuali potest esse prima causa odii Dei erga hominem; ergo potius ex turpitudine actionis mensurandum est odium erga personam et ordinatio illius ad poenam, et non ex alia vilitate quae praevisa culpa conveniat personae. EXPLICATUR 2<sup>a</sup>, quia Deus liberaliter confert creaturis gratiam; et quamvis quandoque conferat dependenter ab actionibus creaturarum quandoque independenter, nihilominus primam gratiam semper liberaliter confert; at vero inimicitia implicat ex terminis conferri personae liberaliter; sed necessario conferenda est propter demerita actionum, et ideo non potest esse maior inimicitia quam pro intrinseco merito actionis, quamvis amicitia possit esse maior.

Secunda ratio discriminis nascitur fere ex eodem principio supponendo valorem operis esse duplum: alius est enim ex mera iustitia nulla interdecente liberalitate et aequitate. Et huiusmodi valor est in labore militis ad consuetum stipendum, quem valorem

ex iustitia auget dignitas personae quando propter dignitatem miles utilior est bello. Secundus valor est participans aliquid iustitiae et aliquid liberalitatis, ad quam tamen liberalitatem invitai aequitas et ratio rei. Et hoc modo filii aut propinquus imperatoris aequaliter [f.229]um est plus stipendii tribui quam extrancis, etiam si eorum labor non esset utilior reipublicae. Et hoc modo crescit valor operum honorum ex sanctitate personae quamvis ignorata sit, ut facile colligi potest ex materia de gratia. At vero demeritum talum debet esse ex mera iustitia et propterea non debet attendere qualitatem personae ut attendit secundus valor operum honorum, sed tantum debet attendere turpitudinem operis ut correspondeat primo valori operum honorum, quod ex mera iustitia nascitur. Et ad hanc turpitudinem nihil conferit conditio personae operantis si prorsus ignorata sit ab operante. CONFIRMATUR 1º, quia demeritum non est materia apta ut ex libera voluntate Dei augatur sicut meritum; nam meritum augere est communicare bonum, quod est proprium Dei; sed inferre malum est alienum opus a Deo, quod scilicet provenire debet ex meritis actionis nostrac. CONFIRMATUR 2º, quia meritum augere potest Deus ex sua liberalitate certus quod non repudiabitur ab homine; sed demeritum augeri nunquam placebit creaturac, et ideo nunquam erit tacitus consensus illius in similem contractum.

*(Prosigue el comentario a la q.74)*